AUTHOR:

JOHANNES, RICHARD

TITLE:

DE STUDIO VENANDI APUD GRAECOS...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1907

Master Negative #

92-81125-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Johannes, Richard, 1883-
De studio venandi apud Graecos et Romanos. Dissertatio...quam...scripsit Ricardus Johannes... Gottingae, officina academica Dieterichiana, 1907.
81 p. 22 cm.

Thesis, Göttingen. 1907.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-1-93 INITIALS MGY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE STUDIO VENANDI APUD GRAECOS ET ROMANOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RICARDUS JOHANNES

DESSAVIENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMVII.

De dissertatione probanda ad ordinem philos. rettulerunt

Ed. Schwartz et F. Leo.

Examen rigorosum habitum est a. d. III kal. Mart. MCMVII.

PATRI · CARISSIMO

QVO · DIE · SEPTVAGINTA · ANNOS
FELICITER · PERFECIT

PIO · GRATOQUE · ANIMO

In scriptis Xenophontis Cynegeticus liber servatus est, qui Xenophontis esse ex antiquitate usque ad hunc fere diem putabatur [1]). Nunc inter omnes praecipue opera Radermacheri [2]) constare credo Xenophontem hunc libellum non scripsisse. Alia est quaestio, quando liber ille Cynegeticus ortus sit, qua ut in historiam rei venaticae acrius inquirerem commovebar. Secludendae inter se sunt quaestiones altera quomodo Graeci (et Romani postea) sint venati, altera quibus temporibus studium venandi apud eos floruerit.

Venatus modi et apparatus canesque et equi et servi venatici imprimis cognoscuntur ex eis libris, qui nominantur Cynegetici. Praeter Pseudoxenophonteum exstant duo Graeci. Alter compositus est ab Arriano Xenophontis imitatore, alter ab Oppiano Apameensi poëta. Romani cynegeticorum carminum poëtae sunt Grattius, qui vix iure Faliscus cognominatur, et Nemesianus.

Quae his in libellis de venatione magni aestimanda inveniuntur sententiae sunt singulorum hominum. Multa autem pluris nostra interest scire, quantopere res venatica omnino animos Graecorum et Romanorum cuiusvis aetatis commoverit. Nam quicumque rem non perquisivit facile putat vasculorum decora et parietum imagines reddere quasi specula statum cotidianae illius temporis vitae. Praeterea vocabula venatorum tum non minus ornabant cotidianum sermonem quam hodie in nostra lingua observari potest. Rem esse difficiliorem opusculo demonstrabitur. Percurram ergo quae in monumentis antiquis et principi-

---

1) praesertim cum Xenophon et esset venandi studio deditus (An. 5, 3, 7-13) et alios libros, quorum nomina in -ικός desinunt, scripsisset.
2) Mus. Rhen. 51 (1896) pag. 596.

bus scriptoribus ad venandi studium pertinent, non quo id opus esse ad librum Cynegeticum s. d. ordini temporis recto loco inserendum credam, sed ut hoc primo opusculo mihi ipse fundamentum ponam ad similes quaestiones tractandas. Ne nimium appetere videar, finis fiat in imperatoris Augusti aetate, ubi Graecorum Romanorumque mores et vita inter se congruere coeperunt. Quamquam concedo multa esse nota de vario studio venandi — cum per singula saecula tum apud Graecos et Romanos diverso — adhuc nondum omnia in unum libellum coacta et collecta inveni.

Primus materiem rei cynegeticae antiquae pleniorem congessit atque iterum iterumque ab eis qui talibus rebus student iure laudatur Ludolphus Stephani. Imprimis huc spectat libellus eius anno 1867 publicatus [3]). Ipse diversis locis dicit se summam tantum materiae in capita certa divisam proferre voluisse, non singulares quaestiones ad finem perducere. Tractare enim artis monumenta satis habet, ex libris scriptis ea sola in adnotationibus affert, quae ad explicanda illa utilia videbantur. Nos non una ex parte in alia condicione versamur. Primum materies his quadraginta annis incredibili modo aucta non iam plena offeri nedum hoc opusculo describi potest, sed eligenda sunt exempla. Deinde id quod Stephani attulit ipsum mihi videtur non sufficere propterea, quod tempora scriptorum parum discernuntur, velut Cynegetici Pseudoxenophontei scriptor Ovidius Oppianus quasi eiusdem aetatis fuerint iuxta laudantur. Tertium Stephani neque historiam rei cynegeticae scribere neque, quomodo termini technici, translationes, descriptiones sim. in scriptorum opera omnino venerint, inquirere in animo habebat, sed artis monumenta explicare scriptorum auxilio voluit. Neque tamen hac in re historia supersedere potuit, nam oportebat eum a poëtis Romanis ad exemplaria Graeca ascendere neque neglegere Arrianos et Oppianos Graece scribere, moribus vero uti Romanis.

3) Comptes rendus, Petersburg. 1867 pag. 59 sqq.

Certe Arrianus Nicomediae natus tantam partem orbis terrarum non vidisset, nisi stipendia Romana fecisset. Idem Ludolphus Stephani aliis nonnullis locis selecta capita rei venaticae tractavit, ex quibus scriptis posteri materiam depromere solent. Sed opiniones, quas protulit, aut monumentis postea inventis refelluntur (e. g. nondum retia in imaginibus nigr. fig. recognovit et propterea ea hic picta esse negavit) aut melius alio loco sunt pronuntiatae.

Secundum locum teneat Max Miller [4]) Monacensis, qui nitido libello antiquorum rem venaticam exposuit. Non argumentis docere sed lectores delectare vult. Itaque continuam confecit descriptionem · rationis et apparatus antiquae venationis aetatibus minime discretis.

Ultimus Otto Manns tribus libellis de re cynegetica apud Graecos egit [5]). Materiam disposuit in partes tres, quarum prima, quanti venatio in vita Graecorum aestimata sit, narratur; altera de feris agitur; tertia de ipso venatu exercendo. Ne Manns quidem in materia exponenda tempora distinguere voluit. Sed ingratus essem, si eius opusculum nimis vituperarem, imprudens si despicerem. Prima enim parte continetur praecipue id, quod acrius investigare mihi in animo est. Abstinebo autem a fabulis deorum et heroum, a cultu et cognominibus Dianae, ab armis et supellectili venaticis describendis, nisi res postulabit. Nam mihi proposui de studio solo apud Graecos et Romanos venandi scribere, quocum coniunctum quidem est inquirere in fidem imaginum artificum et scriptorum principum Graecorum et Romanorum, utrum res venaticas operis suis ex ipsa vitae et venationis experientia immiscuerint, an imitationis causa a prioribus desumpserint.

4) Max Miller: Das Jagdwesen der Griechen und Römer für Freunde des klass. Altertums. München 1883.

5) Otto Manns: Progr. d. K. Wilhelms-Gymn. in Cassel 1888—1890. Über die Jagd bei den Griechen. Prima pars iterum dividitur: Die Jagd in der Götter- und Heroensage, im Kultus und in der bildenden Kunst der Griechen. — Die Stellung der Jagd im Leben des homerischen Griechen. — Die Stellung der Jagd im Leben des nachhomerischen Griechen.

Quod partitionem opusculi mei attinet, concedere mihi opus est certo non defuturos esse, qui materiem alio modo exponi malint et postulent, ut monumentorum et litterarum testimonia artius inter se coniuncta tractentur. Libenter eis obsecutus essem, si id utile fore putavissem. Obstabat autem studium meum, lucidas et apertas res in memoriam tantum revocare, fusius autem explicare difficiliores. Hac de causa mihi aptius videbatur monumenta et scriptores secernere.

De heroica quae nunc dicitur aetate.

Si quis hodie de incolarum Graeciae studio venandi scribere voluerit, non iam ex Homero incipere licebit, sed monumenta quae in Creta Mycenis aliisque antiquissimis locis sunt reperta, respicere debebit, unde illos viros, quorum arces in Creta et Peloponneso sitae erant, etiam venatos esse cervos apros ibices tauros (v. i.) lepores (?) discimus. Horum animalium imagines iterum iterumque in lapidibus incisae inspiciuntur [6]). Nobiles homines, qui quasi more orientalium populorum sicut in bello sic in venatione quoque curru sive essedo utebantur, cervos de vehiculo sagitta percutere sciebant [7]). Canes quoque venatici videntur homines in feris captandis adiuvisse [8]). Praeterea commemorari potest signum cervi Mycenis effossum esse [9]). Apros a Mycenarum incolis esse captatos non solum gemmis [10]), sed etiam alio fortasse modo constat. Schliemann enim narrat [11]) se in quarto sepulchro sexaginta dentes aprorum invenisse, quibus sive armamenta equorum, sive galeas virorum fortium ornatas fuisse Homeri carminibus traditur [12]); praeterea multitudinem tesserarum seu laminarum, quae ex aprorum dentibus fabricatae essent.

6) Perrot-Chipiez Histoire de l'Art. Tom. VI. pl. XVI no. 3.

7) in anulo aureo. P.-Ch. Tom. VI pag. 839 (= Schliemann Mycenae no 334 [pag. 259]).

8) Furtwaengler Gemmae Tom. III fig. 34.

9) Fabricatum est mixtura plumbi et argenti, cf. Schliemann Myc. no 376 (pag. 296).

10) Furtw. Gemmae Tom. I . tab. II, 11 et 12.

11) Schl. Mycenae p. 312.

De ibicis venatu [13]) perpauca addenda sunt. Quem eodem modo quo cervum venabantur propter carnem et pellem, nec minus propter cornua, quibus ad arcus construendos optime utebantur. Magnam eorum tum multitudinem exstitisse gemmarum [14]) et vasculorum [15]) imaginibus ostenditur. Kellero auctore [16]) Graeci omnium temporum confundere perseverabant ibicem (graece proprie *ἴξαλον*) et rupicapram (= Gemse gr. pr. *αἶγα ἄγριον*). Accedit fortasse etiam capella in feritatem denuo degenerata. Uno nomine tres appellantur *αἴγαγροι*. Ex qua confusione posse cognosci putat Keller in aliis regionibus, quas Graeci habitaverint, ibicem fuisse nobilissimam venationis montanae praedam vel illam feram, quam viri docti 'Paseng' nominant, in aliis sive rupicapram (= Gemse) sive capellam efferatam. Fera autem, quae proprie dicitur ibex, cuius species a Kellero in pag. 46 enumerantur, ne heroïca quidem aetate ad Graeciae terram continentem pertinet. Si tamen in vasculorum et gemmarum imaginibus ibices inveniuntur, hac re non minus quam cervis palmatis, qui maculis albis sparsi sunt, et fortasse leonibus (de quibus postea agam) declaratur, quam propinquae fuerint artes antiquissimae Graeciae et Asiae et Africae. Sagittarii vero, ut ad rem coeptam redeam, in Homeri quidem carminibus multum valent. Posterioribus autem temporibus praecipue Creta [17]) non solum per omnia saecula

12) cf. Il. X, 261 sqq.

13) P.-Ch. Tom. VI, pl. XVI, no. 19. Furtw. Gemmae Tom. I, tab. II, 15.

14) P.-Ch. Tom. VI, pl. XVI, no 8 Furtw. Gemmae II, 8.

15) frg. vasculi argentei P.-Ch. Tom. VI, pag. 774.

16) O. Keller, Tiere des klass. Altertums, Innsbruck 1887, pag. 38 sqq.

17) In tabula aënea septimi fere saeculi a. Ch. n., quae in Creta est effossa, duo viri conspiciuntur, quorum alter ibicem necavit. Cf. ad

usque ad hunc diem capricornis abundavit, sed etiam semper patria optimorum Graeciae sagittariorum fuit, quod inter se arte coniunctum esse apparet. Reliqui Graeci arcus usum postea despicere solebant [18]). Ut cervi sic ibicis quoque aureum signum Mycenis inventum est. Restat ut exemplum venationis afferatur quod exstat in fragmento vasculi picti, ubi viri docti se praeter canis caput cognoscere posse leporis extremam partem consentiunt [19]). Propter maculas pictas feram hinnuleum nominare mallem, nisi figura leporis pictoribus (propter isocephaliam?) multo gratior omnibus temporibus fuisset quam aliarum ferarum, de qua re postea agam. Nunc autem alia quaestio est tractanda, quae est de leonibus.

De leonibus, num et quo fortasse modo ad antiquissimam Graeciam pertineant.

Diversae adhuc fuerunt hac in re sententiae archaeologorum et philologorum, neque id mirum est. Nam philologi nituntur litteris ita, ut negent exstitisse id, quod litterarum testimonio careat; itaque leonibus illis fabulosis ut Nemaeo Heliconio Thespio aliis probari negant hoc venationis genus in usu fuisse. De hac re iam Welcker in adnotatione quadam verba fecit [20]). Unum enim auctorem Herodotum [21]) tradere leones exstitisse inter Nestum et Acheloum, fabulis autem a Pausania narratis nihil probari. Welckerum secutus est de Wilamowitz [22]) graviori-

hoc Ann. d. Inst. 1880. Tav. d'agg. *T* (pag. 213 sq.) et contra: Milchhoefer: Anfänge der Kunst in Griechenland. Leipzig 1883. pag. 169.

Praeterea in caelato opere aëneo percusso, quod in specu Dictaeo inveniebatur, venator in umeris capricornum portat, cuius pedes et cornua sunt conligata. Septimi quoque a. Ch. n. saeculi opus est. cf. Jahrb. d. Arch. Inst. 13 (1898), p. 142.

De studio venandi Cretum Athenaeus refert XIV, 630, c (cap. 28) *Οἱ δὲ Κρῆτες κυνηγετικοί, διὸ καὶ ποδώκεις.*

18) Cf. de Wilamowitzium in comm. Eur. Herc. I^1. pag. 344.

19) P.-Ch. Tom. VI. pag. 934 no. 496.

20) Welcker Kl. Schr. II, pag. 199. adn. 22.

21) Herod. VII, 126. Ab eo pendent Aristoteles et Plinius.

22) Wil. Eur. Herc. I^1 p. 290 adn. 41 (= I^2 p. 44 adn. 73).

bus argumentis additis. Altera ex parte olim fieri potuit, ut Sittl proferre non dubitaverit [23]):

Die Kunst bildete ja die Löwen, solange Griechenland selbst vor ihnen zitterte, teilweise unverhältnismäßig groß.

Aut Furtwaengler [24]) ante hos fere XXIII annos (nunc quidem se aliter sentire in Gemmis profitetur, v. i.):

Den mutigen Kampf mit dem Löwen können wir — — in die älteste Kunst über Homer hinaus verfolgen — diese Darstellungen haben offenbar nichts zu tun mit den orientalischen des löwenbezwingenden Dämon; sie beruhen vielmehr auf Wirklichkeit.

Furtwaenglero imagines Mycenarum notae erant atque eis solis niti debuit, sed pergendo: der Löwe ist ja noch den homerischen Sängern ein so vertrautes Tier, wie es nicht möglich wäre, wenn sie ihn nur von Hörensagen oder aus der orientalischen Kunst gekannt hätten .... rem transposuit minime feliciter ad carmina Homerica. Exempla enim illa venatus leonum et praeclarae descriptiones consuetudinum leonis, quae sunt in Homeri carmina inserta, spectant ad Asiam, ubi Graecis leo notissimus erat. Praeterea semper eis conexus et commercium cum populis orientalibus erant, quorum regibus imprimis leonis venatus cordi erat. Hoc non solum litterae narrant, sed etiam monumentis traditur. Exempla nonnulla infra commemorabuntur, ubi de redintegrato nobili studio exeuntis quarti saeculi agetur.

Hic vero quaeritur de Graecia, ubi satis magnus numerus monumentorum heroïcae quae dicitur aetatis sive leonis ipsius tantum sive venatus leonis imaginibus est ornatus. Ultimi de hac re egerunt Perrot [25]) et Furtwaengler [26]). Perrot censet commotus et magno numero et summa descriptionis vivacitate imaginum leones illis temporibus in Peloponneso vixisse; deinde eos gradatim

23) Jahrb. d. Arch. Inst. 2 (1887) pag. 185.

24) Arch. Ztg. 1883 pag. 159.

25) Perrot-Chipiez H. d. l'Art Tom. VI, pag. 824 sq.

26) Gemmae Tom. III, pag. 50.

se recepisse ad Thraciae Nestum et Acheloum. Longa ratiocinatione hoc lectori persuadere temptat, sed argumentatione res semper carebit, donec ossa, quae a naturalium peritis rerum viris recentia dicuntur, in excavata terra exhibeantur. Furtwaengler a Wilamowitzio monitus sententia mutata nunc censet: Ob der Löwe in jener Zeit in Griechenland vorkam, ist sehr zweifelhaft. Quomodo autem iam illam praeclaram vivacitatem imaginum explicet, nihil adnotat. Nam sententiam suam, utrum res fuerint importatae an non, tacere voluit.

Ergo mihi utile visum est, denuo quamvis paucis verbis exponere, quid opinari liceat et quid adhuc nesciri confitendum sit. — Reges Mycenarum, quamquam satis parvo regno praeerant, fortes et industrios fuisse ex monumentis cognoscitur. Etiam pluris aestimari potest antiquissimus Cretae status. Tamen pauca tantum cognita habemus de vita illius aetatis.

Nescimus enim quam late potentia et commercium regnorum in orientem patuerint. Videntur incolae merces mutavisse cum aliis populis, imprimis cum Aegyptiis, id quod vario modo fieri potuit. Aut mercatores enses anulos gemmas alias res [27]) trans mare Aegaeum transportaverunt. Aut ii, qui tum Graeciae terram continentem et insulas habitabant, navibus Aegyptum petebant, sive mercandi sive belli causa. Postremo ne obliviscamur, moneo multas res (e. g. sucinum) antiquis temporibus per manus mutuo traditas quam longissime fuisse deportatas. Fortasse etiam probari potest artifices exstitisse in Graecia, qui Aegyptias res noverint sive ipsorum oculis sive per exemplaria. Nam in mucrone animalia et planta quaedam Aegypti propria sunt incrustatione fictae [28]). Nec desunt viri docti qui censeant Aegyptios invicem esse imitatos opera, quae ex Graecia in Aegyptum sint transportata [29]).

---

27) cf. Schliemanni Mycenas, ubi in postscripto de struthocameli ovo narratur.

28) P.-Ch. Tom. VI, pl. XVII.

29) Ulr. Köhler: Athen. Mitt. 7 (1882) p. 241; Studniczka: Athen. Mitt. 12 (1887) p. 1; v. Bissing: Jahrb. 13 (1898) p. 28.

Explicatio autem monumentorum adhuc poscitur et merito desideratur. Imaginibus ipsis nihil probatur nisi leones vivos fuisse notos eis artificibus, qui tum fingebant leones illos summae vivacitatis cubantes [30]), sedentes [31]), serpentes [32]), insilientes [33]). In mucrone quodam pugna quam optime incrustatione descripta est [34]). Quinque homines confligunt contra leonem, cum duo alii leones effugiunt; arma virorum sunt hastae scuta galeae, unus vir arcum tenet. Propter has imagines et praecipue propter quietam maiestatem cubantis aurei leonis [35]) minus credi potest artifices imitatos esse exemplaria quam vivos leones. Nescimus, qua in terra dextri illi artifices habitaverint.

Cum deliberarem, quo modo fieri potuisset, ut antiquissimae Graeciae artifices has imagines fingerent, mihi ratio quaedam in mentem venit, quam non protulissem, nisi postea duos viros in similem incidisse sententiam reppperissem.

Nonne artifices in Graecia leones quasi vivos fingere facile poterant, si captos et mansuetos ante oculos habebant?

De captivis leonibus Furtwaengler nonnulla verba facit in Gemmis [36]), sed prudenter sententiam suam de hac re fusius explicare omittit. Inde non multum abest id, quod A. B. Meyer in adnotatione quadam clarius proponit [37]): Daß der Gedanke der Einführung gefangener Löwen, die den Künstlern als Modelle gedient haben könnten, so ohne weiteres von der Hand zu weisen sei, leuchtet mir nicht ein. His verbis continetur, quod alii viri docti, quorum nomina mihi sunt ignota, negaverunt

---

30) P.-Ch. Tom. VI. pl. XVI, no 6.

31) P.-Ch. Tom. VI. pl. XVI, no 7, 14, 18.

32) P.-Ch. Tom. VI. pag. 845 no 20.

33) P.-Ch. Tom. VI. pag. 845 no 3, 9, 14; pl. XVI, no 3, 12.

34) P.-Ch. Tom. VI. pl. XVIII.

35) P.-Ch. Tom. VI. pag. 824, no 402.

36) Furtw. Gemmae Tom. I. tab. III, 20 et Tom. II. pag. 51 no 32.

37) A. B. Meyer (Dresden) Der Zoologische Garten XLIV No. 3 (1903) pag. 65—73: Bis wie weit in der historischen Zeit zurück ist der Löwe in Griechenland nachweisbar? cf. pag. 72 adn. 1.

leones mansuetos unquam olim in Graecia fuisse. Per se omnia credi licet: Viri qui ea fortitudine, quae in imaginibus illis inspicitur, contra leones pugnant captos quoque domum vivos — fortasse catulos vel vulneratos — reportant. Quis miretur, quod artifices in gemmis anulorum (quos ab uxoribus portatos esse propter exiguitatem verisimile est)[38]) et in gladiis ad hanc pugnam usitatis tam periculosa et praeclara celebraverunt! Praeterea antiquos illos reges in arcibus suis praesidio et decori leones aluisse, quin etiam eis leonibus in captandis cervis tauris capreolis usos esse, etiam tribus monumentis confirmatur, si modo haec explicatio illorum vera est. Duabus gemmis exhibentur leones ad columnam adligati, ad quas Furtwaengler annotat leones captos domum regis custodire. Equidem puto eum hoc praeter opinionem omnium docere, quibus figurae orientalis artis notae sunt. Monendum est figuram duarum ferarum vel daemonum, inter se similium sed oppositae formae[39]), maxime apud orientales populos persaepe inveniri et ita quidem, ut eas cum deorum cultu cohaerere appareat. Tamen non vetamur in gemma recognoscere leones vitae cotidianae, quos artifex usitato illi generi imaginum adoptavit. Similiter fortasse Furtwaengler sentit[40]). Tertium monumentum est cippus Mycenaeus[41]), ubi leo prope vehiculum currens capreolum insequitur, cum auriga currus laeva loros tenet et dextram segniter in gladii capulo ponit.

Tamen equidem ipse moneo, ne tali argumentationi, si quis protulerit, cedatur. Nam ut cervi palmati maculatique sic illi leones ad Graeciae terram continentem non pertinent.

Adnotatio de tauris[41a]). Fortasse sunt qui desiderent, ut taurorum quoque venationes tractem. Sed fines,

38) P.-Ch. Tom. VI. pag. 838.

39) „Wappenschema".

40) Furtw. Gemmae Tom. III. pag. 50.

41) P.-Ch. Tom. VI. pag. 770, no 364 cf. Reichel. Eran. Vindob. 1893, ubi tota illius cippi descriptio in duas imagines discissa explicatur.

41a) cf. Maximil. Mayer: Jahrb. 7 (1892) pag. 72 Myken. Beiträge I. Stierfang.

quibus opusculum meum praestrinxi, obstabant. Pugna cum tauris facta enim non tam erat voluptas quam caerimonia. Itaque meum non est illius imagines describere, quamvis negare nolim viros antiquissimae aetatis tauros quoque esse venatos eo consilio, ut vires suas exercerent.

De imaginum vascularium fide.

Sequontur tria capita de vasculis pictis, quibus venationes usitatissimae Graecorum repraesentantur, quae sunt leporis, apri, cervi.

Non tractabo imagines illas eo consilio, ut omnia monumenta, quae de venatu exstant, colligam, sed ut quam maxime possum explicem, quae in usitandis imaginibus difficilia sint.

De leporis venatione.

Quo supra loco de fragmento vasculi Mycenaei actum est, in quo venatus fortasse leporis inspicitur, plura de leporibus expositum iri promittebatur. Hoc promissum nunc explebitur eo modo, ut de variis generibus imaginum, quibus leporis venatio seu exhibetur seu indicatur, continue agatur. Lepores ex antiquissimis temporibus in Graecia quam gratissimam fuisse praedam mihi persuasum est neque quemquam testimonia postulare credo.

Imaginum, quae huc spectant, tria genera discernere mihi utile visum est[42]), primum continetur illis leporis venationibus, quibus saepissime angusta zona vasculorum ornatur, alterum eis liberioris compositionis imaginibus nig. fig., quibus vita vere cotidiana describitur (lepore necato captatio, quam venationem nominare nolim, indicatur). Traducimur per nonnullas rubr. fig. imagines, ubi occasione data heroum, ut ita dicam, venatio significatur,

42) Pottier (Bull. corr. hell. 1893 pag. 227) similiter leporis venationum imagines pictas in quattuor genera dividere conatur.

ad tertium genus, in quo captus lepusculus aut caniculus deliciae sunt puerorum et puellarum, qui animal quoddam ab amatoribus dono datum accipiunt.

De primo genere copiosius egit primus, nisi fallor, Loeschcke[43]), qui seriem imaginum produxit ex scuto Hesiodi usque ad initium quinti saeculi. Nonnullae sententiae, quae hodie quoque valent, verbo tenus citentur: — — Die Hasenjagd ist einer der wenigen außermythischen Gegenstände, deren typische Darstellungsweise wir von den Anfängen der griechischen Kunst bis ins 5. Jahrhundert an einer geschlossenen Reihe verfolgen können.

Die typische Darstellungsweise der Hasenjagd hat aber noch eine Vorgeschichte, die über die Zeiten der Hesiodischen Schilddichtung zurückreicht.

Explicatione quae haec verba sequitur Loeschcke rationem Graecam refert ad rationem vasculorum, quae Phoenices ex metallo fabricare solebant. Duobus enim exemplaribus in Nini urbis ruinis inventis exhibentur altero quidem separatae zonae leporum et canum, altero autem zona canum et leporum mixtorum[44]). Parum diligenter dicit Boehlau[45]): In duabus pateris aëneis Nini urbis lepores a canibus propulsantur. Loeschcke postea pergit his verbis:

Diese aber immerhin noch ornamentale Gruppe bildet den festen Kern, um den sich unter Hinzutritt der Menschengestalt die griechische Darstellungsweise der Hasenjagd auskrystallisiert hat. Qua de causa factum sit, ut haec ipsa forma venationis per saecula occurrat, sic exponit L.:

Diejenigen Scenen erhielten unter dekorativ sonst gleich verwendbaren den Vorzug, die sich mit schon vorhandenen und den Handwerkern geläufigen Figuren ausdrücken ließen oder wenigstens nur eine geringe Modifikation erheischten.

Iure contendit L. minores vasculorum pictores raro vel potius nunquam ea quae in vita oculis viderint finxisse,

43) Arch. Ztg. 1881 pag. 33 sqq.

44) Layard: Monuments of Niniveh second series pl. 61 et 64.

45) Jahrb. d. Arch. Inst. 2 (1887) pag. 191 adn. 30.

sed iterum iterumque exemplaria depinxisse. Quo factum est, ut diversis et temporibus et locis tales leporis venationes in vasculis pingerentur. Exempla afferre non opus est, quoniam Pottier in dissertatione sua multa collegit, quae eis qui talibus rebus student conferenda commendo. Accedit vas Boeoticum septimi saeculi[46]). Nescio, qua de causa Boehlau[47]) in Attica ampulla eius generis, quod apud Phalerum portum effoditur, (in qua quattuor canes collaribus ornati ingrediuntur post leporem, qui sub ansa vasculi in locum editiorem procurrit) moneat, ne haec compositio pro venatione habeatur, sed leporem esse pictum ut spatium expleatur. Nam supra vidimus hoc ipso modo ortam esse hanc venationis figuram. Si artifex leporem ante canes pinxit, nolens volens formavit venationem. Praeterea hoc loco affirmare velim hanc proprie dictam venationem esse quasi sollemne ornamentum in illis ampullis et scyphis, quorum formas Protocorinthias nominare solemus[48]). Loeschcke cum postea dicit[49]) venationes illas esse in Atticis ampullis in superiore tantum lateris parte pictas, quod ornamentum non iam placuerit, consilio vitam cotidianam minime tangit. Nam quamvis leporis venatio tum non principem locum sed inferiorem in vasculis obtinuerit, tamen ex vitae cotidianae gaudiis non disparuit.

Ut exemplo ostendatur, quomodo res traditae et vita cotidiana simul in arte observari possint, mihi liceat observationem parvulam proferre, qua artifices ex vita aliquid sumpsisse apparet, nisi forte quispiam contendere velit eos esse hac in re imitatos tabulas a melioribus artificibus pictas. Concedo igitur Loeschckio artifices quosdam olim ex eis imaginibus, quibus soli lepores aut soli canes exhibentur, leporis proprie dictam venationem composuisse. Plerumque postea unus lepus fugatur multitudine canum.

46) Anz. d. Jahrb. 13 (1898) pag. 140.

47) Jahrb. 2 (1887) pag. 48.

48) cf. Louis Couve: Revue archéol. S. 3 T. 32 (1898) pag. 216 . . . partout, cette frise secondaire représente le sujet de la chasse de lièvre.

49) „weil einer überwundenen Verzierungsweise angehörig, nur noch als Schulterbild verwendet."

Figuris duorum currentium animalium optime angustae zonae explebantur vasculorum. Licet, ut Loeschcke docet, venator ex aliis imaginibus sit desumptus, certe vitae debetur rete, quod dissimillimis rationibus artifices fingere temptaverunt. Qua re probatur retia octavo fere a. Ch. n. saeculo in leporibus venandis fuisse usitata, quod ex litteris discere non possumus. Quamquam igitur in exemplis quae sequontur canes et lepores (et, si qui exstant, venatores) inter se satis similes sunt, vix usquam retia eiusdem speciei in artificum operibus discerni possunt.

I. Catillus figlinus ruber [50]).
II. } Ampullae quae dicuntur Protocorinthiae [51]).
III. } Ampullae quae dicuntur Protocorinthiae [52]).
IV. } Ampullae quae dicuntur Protocorinthiae [53]).
V. Tripus Tanagraeus [54]).
VI. Patera Capuana [55]).

Conferendi causa adduntur praeterea

VII. Patera ex Volscis nigr. fig. [56]).
VIII. Operculum vasculi nigr. fig. [57]).



50) Rotthoniger Reliefteller Arch. Ztg. 1881 pag. 33/34 cf. ornatum aëneum Thebanum sine reti et venatore Arch. Anz. 1891 p. 125.
51) Arch. Ztg. 1883 tab. X, 2.
52) Journal of hell. studies XI, tab. 2. (1890).
53) Mélange Perrot pl. IV.
54) Arch. Ztg. 1881 tab. IV.
55) Arch. Ztg. 1881 tab. V. φιάλη μεσόμφαλος ex Nicosthenis genere.
56) de Ridder: Catal. d. vases peints d. l. bibl. nat. I, 95.
57) Athen. Mitt. 30 (1905) pag. 410. superior pars retis ex venatione cervorum.

Ergo artifices videntur retia non ex iisdem semper exemplaribus, sed ex vita (auxilio fortasse erat nobilius picturae genus) suo quisque modo finxisse. Varietatem formarum alia ratione explicari non posse persuasum habeo. Unus solus pictor (cf. tertiam figuram) plane naturam neglegens retis loco posuit ornamentum. Utrum rete non noverit an pingere non potuerit an noluerit, quis diiudicare potest? Hac ex varietate formarum praeterea argumentum depromi potest venationem leporis artificiose retibus et canibus susceptam, quam Pseudoxenophontei Cynegetici scriptor exponit, multis saeculis antea omnibus fere Graecis fuisse communem. Certo lepus antiquitus desiderata praeda Graeci venatoris fuit neque quicquam refert, utrum lepus Homerici carminis Asiae an Europae tribuatur. Fertilitas leporis scriptoribus quoque rerum naturalium bene nota impedivit, ne unquam evanuerit.

Praeter hanc speciem 'leporis venationis' traditae sunt imagines nigr. fig. liberioris compositionis, quarum tres Fossy edidit [58]). In his tribus Atticis imaginibus lepus necatus et canis venaticus venationem, quae praecessit, indicant. In duabus venator leporem una cum vulpe in umero ex lagobolo pendentes portat, in tertia adulescens nudus adfert necatum leporem viro barbato. Ubique retia deficiunt ita, ut hanc venationem neque artem neque nobile studium nominare velim. Quomodo fieri potuerit, ut iuvenes occasione data lepusculum captarent, optime illustratur imagine rub. fig. lecythi, in qua nonnulli iuvenes baculis lapidibus canibus leporem insequontur, quem apud cippum exagitaverunt [59]). Hic artifex illo conexu, qui superstitionis nescio cuius inter cippum et leporem intercedit, plane soluto argumentum picturae ex humili vita mutuatus est. Praeterea lepus significat praedam viri illius, cui sepulchrum est sacratum, sicut in ampulla quadam Attica repraesentatur [60]). De hac re Furtwaengler in praefatione, quam

58) Revue archéol. S. 3. Tom. 18 (1891) pag. 361 sqq. cf. Berlin. Katal. 2053. et Pottier Bull. corr. hell. 1893.
59) Murray: White Athenian Vases, pl. VI. (Brit. Mus.).
60) Athen. Mitt. 16 (1891) tab. VIII.

editioni collectionis Sabouroffii praemisit, bis verba facit[61]). Altero loco commemorat daemones venaticos, qui fortasse in comoediae quoque fragmentis detegi possunt[62]), altero de ectypis votivis agitur quinti exeuntis saeculi et quarti. Quorum in tribus servus illius iuvenis, quem equitis sive potius herois habitu sculptor ornavit, leporem affert, ut equitem ex venatu reverti appareat. Dubito tamen, num ex eiusmodi monumentis concludi possit viris nobilibus illius saeculi venatum cordi fuisse. Nam facile intellegi potest morem praedae leporis heroi adiciendae inveterasse ex eis temporibus, quibus re vera iuvenes venandi causa agros perequitaverint. His verbis minime negare volo lepores tum in Attica esse occasione data captatos necatos in cena appositos, sed monere velim, ne ubique 'venationem' agnoscere nobis videamur, quocumque loco lepus in monumentis inspicitur. Opinor enim lepores et caniculos illis temporibus sicut hodie praesertim Athenis fuisse animalia quasi domestica, etiam efferata fortasse neque tamen fera. E. g. in vasculo rubr. fig. posterioris speciei[63]) iuvenis, cui canis venaticus adest, vivum leporem (siquidem in imagine deperditae partes ferae recte sunt expletae) viro barbato laetus tradit. Num captatio huius lepusculi potest vocari venatio? Atque me in memoriam tantum peritorum revocare opus est, quam saepe pueri et virgines in vasculis et tabulis pictis secum leporem, potius fortasse caniculum ducant. Ab amantibus enim animalia velut lepusculi et aves dono dari solebant.

De apri venatione.

Venatio apri omnibus fere temporibus Graecis digna quae in vasculis depingeretur visa est. Ex diversissimis regionibus Graeciae propriae, Asiae minoris, Italiae talia

61) pag. 25 et 37.

62) frg. Platonis Meineke II (2) pag. 675 (Athen. X, 441 e). Hoc in opusculo plura de his *κυνηγέταις* proferre nolim propterea, quod et longa fortasse explicatione opus est neque ipsi mihi nunc necessaria rerum scientia adest. cf. Wilam. Isyll. p. 100.

63) Gerhard A. V. 290.

servata sunt nigris figuris, rubris, ectypis, rubris posterioris aetatis, alia. Tamen illa multitudine imaginum in studio apros venandi describendo non ita adiuvamur, ut primo obtutu iuvari videmur. Nam loco venationis apri cotidianae, quam e. g. in ampulla quadam Protocorinthia quae dicitur[64]) inspicimus, describebatur fabula quaedam. Perpaucis exceptis[65]) omnes postea imagines ad unam fabulam spectant, quae est de venatione apri Calydonii. Quamquam hac in serie imaginum optimo modo cognoscitur, quibus rationibus ars pingendi apud singulas gentes Graecas sensim aucta sit, tamen quavis pictura iterum iterumque docetur artifices non venationem consuetam ante oculos habuisse posterioribus praecipue temporibus, sed fabulam, quam depingerent. Ut clarius quam difficile sit ex his picturis vera argumenta deducere explicem, armorum utar exemplo. In celeberrimo illo vasculo, quod sub nomine François[66]) notum est, ex utraque parte viri fortes quasi ad bellum scutis hastis ensibus fundis armati aprum iam vulneratum includunt. Duo tantum sagittarii conspiciuntur, quos barbaros esse ex nominibus intellegitur[67]). Non dubium est quin Clitias viros Athenienses pinxerit armis suae ipsius aetatis armatos (=VI. saec. a. Ch. n.).

Deinde in cylice Glaucytis et Archiclis Mopsus et Meleager[68]) vel in duabus aliis picturis nigr. fig. Atticis sexti saeculi[69]) venatores Calydonii aprum petunt hastis tridentibus et bidentibus, quae sexto saeculo in bestiarum venatu usitatae sunt.

64) cf. Notizie degli scavi 1895 pag. 157. (adn. 1) cf. vas Boeot. geometr. Athen. Mitt. 26 (1901) tab. 5.

65) Excipiuntur e. g. vasculum, cui Dodwell nomen dedit, (Exhibetur enim venatio Thersandri.) et Caeretanum quoddam vasculum (Mon. d. Inst. VIII, 17).

66) Mon. d. Inst. IV, pl. LIV/LVIII et Vorlegeblätter t. III (1889) pl. 1—5, et al. locis.

67) *Κιμεριος* et *Τοξαμις* (de arcu cf. Wil. Eur. Herc. [1] I, 344).

68) Gerh. A. V. 235/236. = Wien. Vorlegebl. 1889 tab. II.

69) Gerh. Etrusk. u. Kamp. Vasenbilder X. Mon. d. Inst. XII, 10. De origine ultimus egit Hermann Thiersch "Tyrrhenische Amphoren", Leipzig 1899.

Sed in picturis Atticis rubr. fig. posterioris pulchri modi[70]) idem Meleager Peleus ceterique venatores Calydonii aprum clavis ligneis appetentes pinguntur, quas tum consueta in apros arma fuisse non puto. At artifices tribuerunt viris fabulosis arma quoque fabulosa eodem iure, quo Castores in magnificentissima alia pictura[71]) equis suis in apri venatu utuntur[72]).

Haec igitur prima difficultas oritur ex materie fabulosa picturarum, ad quam accedit altera. Pictores enim, ut supra commemoratum est, vix unquam venatores ex vita depinxerunt, sed innumerabilibus locis aliis picturis usi sunt, quas si eis placuit hic et illic mutaverunt. Hoc in apri quoque Calydonii venationibus ostendi potest. Permagno autem eiusdem fabulae imaginum numero de vita cotidiana Atheniensium minus probatur quam una sola pictura liberioris compositionis[73]), in qua duo iuvenes aprum necatum in umeris reportant tertio comite. Ac non solum Athenis qua in urbe haec imago picta est, sed ubique tum aper grata venatoribus praeda fuit, etsi certo paulatim, praesertim cum satis periculosa esset fera, in devias regiones repulsus est.

Gaudeo quod Thiersch quoque (l. c. pag. 104) se observavisse dicit aprum pertinere ad antiquius tempus. Multo rarius eum certe in Tyrrhenis quae dicuntur amphoris esse pictum quam in Corinthiis et Chalcidicis picturis. Certo in Atticis apri venatio — Calydoniam excipias — satis antiquo tempore depingi desiit.

De cervis.

Cervos palmatos, qui et in heroïcae aetatis gemmis inveniuntur, vix ad Graeciam pertinere Keller[74]) primus

70) Gerh. A. V. 327 (Themisschale).

71) Gerh. Apul. Vas. no IX. (Prachtvase von Armento).

72) In numero armorum, quae fabulae debentur, securis quoque est; quamquam ubique Ancaei propria est, in testa quadam Melica Meleager illa utitur. (cf. Otto Jahn: 'Melisches Thonrelief').

73) Panofka: Bilder antiken Lebens 5, 2.

74) Otto Keller, Tiere d. klass. Altertums, Innsbruck 1887 pag. 74.

demonstravit. Idem valet de imaginibus duabus Caeretanis, quae nominantur[75]). In altera eques, in altera pedester venator cervos palmatos persequitur. Ad Graeciam pertinet ille nobilis cervus, qui persaepe in zonis antiquissimorum Graeciae vasculorum invenitur.

Prima testimonia, quibus cervos in Attica praedam venatorum fuisse probatur, sunt picturae nigr. fig. in amphoris[76]). Quae imagines omnes eodem modo sunt compositae, ut cervus medius sit pictus et ab utraque parte venatores accurrant pari numero habituque, sive bini soli equites petunt cervum sive adequitant singuli equites et post quemvis equitem accurrit pedester venator, qui laeva manu vestem et dextra telum tenet. Addatur legitimam imaginum compositionem eam esse, ut c e r v u m e q u i t e s (quamvis interdum a peditibus comitati), a p r u m autem venatores p e d e s t r e s ingrediantur. Nunc vero plane eadem ratione, qua cervorum venationes pinguntur, apri venatus in Attica hydria[77]) compositus est. Mihi persuasum est hunc aprum cervi locum obtinuisse neque illo tempore iuvenes equis vehi solitos esse, ut apros venarentur.

Contra item credere licet artifices esse apri venationes imitatos, cum cervi venatores pedestres pingerent. Peleus et comites tres eius captant quasi pedites cervum in vasculo illo, cui interior imago Thetidis nomen[78]) dedit. Hic pictor cervi venationem adaequavit Calydoniae in altera parte positae. Praeterea fortasse artifices se heroes equis vehentes pingere vetitos esse putabant, nisi eis velut Castoribus in fabulis equi erant.

Quibus exemplis id apparet rarissime ab octavo usque ad quartum saeculum a. Chr. n. usum et artem venandi plane de vita esse expressa, sed iterum iterumque prae-

75) Bull. de corr. hell. XVI (1892) p. 259 fig. 8. Ann. d. Inst. 1859 tab. K.

76) e. g. { Roulez: Choix de vases de Leyde. tab. XIX, 1.
Micali: Storia tab. 89.
cf. Hartwig: Meisterschalen LIII.

77) Walters: History of ancient pottery (Titelbild).

78) Berlin 2538 (Gerh. Auserl. Vas. 327/8).

cipue post sextum saeculum exemplaria imitando repeti. Facile fieri potuit, ut artifex pauca mutaverit, quae non ex natura sed ab alio exemplo alius generis deprompsit. Tamen, ne artificibus iniuria fiat, redeamus ad illas imagines Atticas nig. fig., in quibus ex utraque parte equites cervum opprimunt. Quo tempore primum Athenienses equites ad bella adhibuerint, acriter dissentiunt ei archaeologi, qui propter *δοκιμασίαν* hanc quaestionem tractaverunt [79]. Ultimus de hac re egit Helbig, qui Atticum equitatum ex Atheniensibus inter annos 477 et 472 formatum esse computavit [80]. Quocumque modo res se habet, equitatus militaris Atticus componi non potuit, nisi equites adfuissent. Equites autem erant nobiles et divites iuvenes Athenienses, qui ex satis antiquis temporibus impensas faciebant in equos. Certo diu antequam equitatus militaris Atheniensium exstitit, iuvenes nobiles per fines equitabant armati duobus illis iaculis, quae in imaginibus persaepe conspiciuntur. Atque nihil melius hos decebat, quam otium pacis venatione earum ferarum, quibus montes Attici tum quidem abundabant, explere. Imprimis cervum fuisse praedam eorum existimo, sed neque aprum occasione data timuerunt neque lepusculos despiciebant, id quod imaginibus heroum in ectypis votivis diu servatis apparet. De his rebus postea plura proferentur.

De Homero.

Transeamus ad litteras et primum quidem ad Homerica carmina. Nam egregia illa exempla, quibus narrationes Homericae ad pugnas melius explicandas abundant, magna ex parte de venatu desumpta sunt. Vix unquam vir doctus, qui de Homeri sive sermonis ratione sive de

79) Körte: Arch. Ztg. 1880.
Holwerda: Jahrb. d. arch. Inst. 4 (1889).
Hartwig: Meisterschalen p. LIII.

80) Mémoires de l'Institut National de France, Académie des Inscriptions et Belles-Lettres. Tom. XXXVII, II, pag. 157. Paris 1904. et Herm. XL pag. 105.

rebus domesticis scripsit, haec neglexit [81]. Denuo omnia congessit Otto Manns in tribus illis libellis quibus rem venaticam Graecam descripsit [82], neque necessarium puto singulas res repetere.

Primo loco admonere opus est, ne res Homericae incaute in Graeciam transferantur. Non solum leones, sed etiam pardi ad Asiam pertinent [83], etsi has bestias in carminibus Homericis venantur Graeci. Eximia scientia consuetudinum et naturae leonis in permultis exemplis de vita desumptis apparet, quo error eorum, qui leones tum in Europa exstitisse credebant, confirmatus est [84].

Praeter leones et pardos venatores Homericae aetatis venabantur lupos, capras aegagros [85], cervos, apros, lepores. Nemini unquam dubium erit, quin venatio Homericis temporibus floruerit. Causae, quibus homines ad venandum commoventur, praecipue tres distingui possunt; primum ut se suaque contra feram ingentem defendant: tota gens aucta amicis et finitimis pugnat contra grandem leonem [86], ex omni Graecia confluunt viri fortes ad Calydonium aprum venandum [87], pastores bovum et ovium saepta et prata a leonibus communiter tuentur [88].

Deinde venatus propter fructum exercetur: arcus ex cornibus caprae construuntur [89], pellis pardi regia Pandaro Menelao decori est [90], pellis cervi Ulixi datur vestimento [91], pellis *ἀγρίου αἰγὸς* eidem ab Eumaeo sternitur [92]. In itinere Ulixes sibi et sociis cibum parat captis cervo [93] et capris [94].

Postremo est venatus quasi lusus nobilis, quem Auto-

---

81) e. g. Friedrich, Realien bei Homer. Buchholz, Hom. Realien.
82) Progr. d. K. Wilh. Gymn. in Cassel 1888. 1889. 1890.
83) cf. Otto Keller, Tiere des klass. Altertums. Innsbruck 1887 pag. 140 sqq. 84) Manns I, pag. 24 sqq. 85) Keller pag. 37 bis 52. 86) Il. XX, 164. 87) Il. IX, 529.
88) Il. XII, 300 sqq. X, 180 sqq. XVII, 61 etc. cf. Mannsi progr. 1888 pag. 24, qui de hac re fuse scripsit.
89) Il. IV, 105. 90) Il. III, 17, X, 29. 91) Od. XIII, 436.
92) Od. XIV, 50. 93) Od. X, 181. 94) Od. IX, 116.

lycus avus Ulixi nepoti praebet [95]). Neque tamen in carminibus Homericis venatus exercetur corporis causa aut propter quoddam naturae studium. Arma venatoria huius aetatis a bellicis diversa non sunt, velut arcus iaculum hasta; unum proprie venabulum hoc tempore commemoratur, illa ab Ulixe usitata *αἰγανέα* tenui et longo ligno [96]).

De Pindaro et Doriensibus.

Poëtam epicum sequatur lyricus. In Pindari carminibus res venatica non uno loco commemoratur. Praetermitto pugnas leonum velut Cyrenae, quam cum leone luctantem Apollo invenit. Leo ipse ad Africam spectat, cetera debentur poëtae ingenio, qui Nemeaei leonis fabula esse commotus videtur ut crederet leones olim in Graecia exstitisse (De hac re supra locutus sum.) ac persaepe in carminibus leones laudat, vel solos, vel una cum apris, vel vulpibus callidis oppositos. Quin etiam se ipsum comparat Pindarus cum leone.

Puerum esse apud Heliconem venatum Pindarum scholia Ambrosiana narrant [97]). Eustathius in Pindari vita fratrem eius Eritimum appellat peritum venatorem [98]). Pindarum rei venaticae studuisse apertum est.

Praedicat Achillis virtutem, qui sine canibus et retibus sola velocitate pedum fretus cervos ceperit [99]).

Ex epico carmine laus velocitatis Achillis expressa videtur, nam Statio quoque auctore [100]) Achilles novit „volucres (cum iam) praevertere cervos". Idem apros venatus est [101]). Alio loco Pindarus huic venatui esse fortem canem necessarium dicit [102]). Tales canes Spartani soli alere sciebant, itaque in Taygeto natam canem laudat quod bene venatica sit [103]).

95) Od. XIX, 428. cf. Buchholz Hom. Real. II, 163 (Manns: noble Passion). 96) Eustath. ad Od. IX, 156.

97) Vita Pindari ex scholiis Ambrosianis excerpta l. 7 *ὡς Χαμαιλέων καὶ Ἴστρος φασὶ περὶ τὸν Ἑλικῶνα θηρῶντα αὐτὸν κτλ.*

98) Ex Eustathii vita Pindari excerpta v. 4 *Ἐρίτιμον εἰδότα θήρης.*

99) N. III, 83. 100) Stat. Achill. in initio carminis et II 397 (110). 101) N. III, 79. 102) frg. 234. 103) frg. 106.

Nec translationes de venatione desumptas neglexit, ut eum qui patri virtute succedit hoc modó pingeret [104]). Praeterea verba *ἰχνεύω* [105]) et *θηρεύω* [106]) translate usitata inveniuntur.

Ut uno verbo omnia comprehendam, studium venandi Pindari est Doricum. Dorienses nobiles imprimis vim et virtutem corporis coluerunt, idem venando studuerunt. Ac Pindarus virtutem Doricam praedicabat. Itaque nonnulla de Lacedaemoniorum studio venandi addi possunt.

Multis argumentis affirmari Spartanos fuisse strenuos venatores non opus est. Lacedaemonios virtutem suam bellicam venando conservasse antiquis scriptoribus res certa fuit. Cum in legibus Platonis (septimo capite primi libri) *τὰ τῆς ἀνδρείας ἐπιτηδεύματα* etc. tractantur, hospes Lacedaemonius post *συσσίτια καὶ γυμνάσια πρὸς τὸν πόλεμον* nominat venationem: *Τρίτον τοίνυν, ἔγωγ' εἴποιμ' ἂν καὶ Λακεδαιμονίων ὁστισοῦν, τὴν θήραν εὗρεν* (*ὁ νομοθέτης*) [107]). Lycurgus Xenophonte auctore venationem omnibus viris mandavit, adulescentibus et adultis [108]). Apud Lacedaemonios morem fuisse traditur [109]), ut iam pueri mane ad venandum emitterentur, neque dubito, quin permagnum venandi studium ex pristinae migrationis temporibus apud Dorienses permanserit. Isocrates quidem eos esse egressos dicit „per speciem venandi, re vera autem ut agricolis furta facerent", sed haec non sine invidia scripta sunt. Certo Lacedaemonii, cum ipsi aut pueri eorum in finibus Peloponnesi vagabantur, socios quoque et Hilotas observare et coërcere voluerunt.

Et philosophi Attici quarti saeculi et nostri quidam commentatores se hoc in more certum consilium legislatoris cuiusdam antiquissimi (quo viri et adulescentes per venationem ad virtutem educarentur) cognoscere posse putaverunt; sed duri mores Lacedaemoniorum non legibus erant praescripti, sed ex necessitate et consuetudine nati. Velut

104) P. X, 12 N. VI, 4. 105) P. VIII, 35. 106) P. IV, 90. III, 23. N. XI, 47. 107) Plato Legg. 633 B. 108) Xenoph. de rep. Lac. 4, 7. 109) Isocr. Panath. 84 § 211.

in Plutarcho [110]) sub nomine Lycurgi alia praecepta traduntur, quibus Spartani quam maxime ad venationem sint adducti. Omni enim Lacedaemonio, cui canes venatici deerant, licebat eos a vicino opulentiore postulare, ne cui paupertas impedimentum ad venationem esset. Praeterea is qui in venando procul ab urbe discessisset, publica cena liberatus erat. Itaque non miramur Aristophanem in Lysistrata [111]) carmini Lacedaemoniorum chori praeclarum illud exemplum apri dentes spumantes acuentis tribuisse, cuius de pedibus sudor seu spuma defluit. Iterum iterumque invocatur hoc carmine *Ἀγροτέρα σηρόκτονε* ..... *ὦ κυναγὲ παρσένε*. Spartani enim nihil cantabant sententia Atheniensium nisi bellum aut venatum.

De Atheniensibus.

Transeo ad Athenienses Ionicae gentis, quorum de rebus venaticis maxime liber Cynegeticus, qui Xenophontis dicitur, adhuc agere putabatur. Nunc autem, praesertim postquam Radermacher in Museo Rhenano [112]) rem denuo feliciter tractavit, inter omnes qui hanc rem agitaverunt constare credo Xenophontem hunc libellum non scripsisse id quod ex sermonis observatione satis elucet. Qua opinione accepta in dubitationem incidimus, quo scriptus sit tempore liber Cynegeticus Pseudoxenophonteus, neque scimus cuius civitatis fuerit ille ignotus vir. De his rebus in alio capite postea agetur, in studio autem Atheniensium venandi describendo ab eo libro abstinere malim.

Quin olim Attica terra sicut omnis Graecia apris cervis leporibus bestiisque abundaverit non dubito. Testimonio sunt imagines pictae in vasculis, ubi neque retia neque venatores cum canibus desunt. Sed in vasculis rubr. fig. imagines venationum iam non exstant cotidianarum (earum dico venationum, quae nobilibus viris et adulescentibus, ut otium expleatur, cordi sunt). Nam ut aliquis

110) Plut. Lyc. 12, 5. 111) Ar. Lys. 1247 sqq.
112) Raderm. Rh. M. 51 (1896).

Atheniensis fructum agrorum contra feras et domestica sua animalia contra vulpem defenderit aut sibi vilem cibum lepore forte fortuna necato comparaverit [113]), hoc valde distat a nobili illo lusu Homerico sive illo inveterato usu Laconico. Quantam igitur omnino rerum venaticarum scientiam Atheniensibus concedere debeamus, scriptores nunc doceant. Quoniam supra de monumentis actum est, nunc mihi ex poëtis (tragicis et comicis), philosophis, oratoribus ea quae nostram rem tangunt excerpere utile visum est, ut deinde rem denuo ipsam tractarem.

In scriptoribus sunt praecipue tragici poëtae, quorum sermo satis multas voces venaticas, terminos technicos, rei ipsius narrationes, exempla, figuras, similiaque continet. Comici de vita cotidiana consulentur non minus quam philosophici scriptores. Finem facient oratores.

De tragicis poëtis.

Primam partem habeant ei loci, quibus res ipsa narratur, velut in Euripide Theoclymenus exit *κυσὶν πεποιθὼς ἐν φοναῖς θηροκτόνοις*, deinde domum reversus servos iubet *κύνας τε καὶ θηρῶν βρόχους* sub tecta reducere [114]). Quamquam *ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος κεῖται ἐν τῇ Αἰγύπτῳ*, tamen poëta nisi fallor res venaticas Graecas ante oculos habuit ita ut retia Euripidis aetate Atheniensibus nota esse appareat; quaeritur, num eorum usus frequens et solitus Athenis fuerit. In Euripidis Hippolyto [115]) Phaedra cupit in montes cum canibus exire ad cervos iaculandos. Euripides quidem Hippolytum scripsit eo consilio ut nefarium novercae amorem ostenderet, non ut venatorem in silvas refugientem homines laudaret, sed hac occasione data nonnulla de his venatoribus explicentur. In Aristophanis quadam comoedia Hippolyto respondet optime Melanion ille qui in solitudinem profectus in montibus habitabat olim odio mulierum commotus [116]). Cane et retibus ibi lepores venabatur. Daphnis, Cephalus, Cyparissus,

113) cf. imagines. 114) Eur. Hel. 1169. 154. 115) Hipp. 215. 116) Lysistr. 785 sqq.

Tithonus, Endymion (Zethos), Atalanta, Arethusa, Cyrena huc spectant. Sunt ei homines qui multitudinis consuetudinem vitent, silvas petant ibique canibus solis comitibus vitam degere velint. Vox populi eos gratia deorum Dianae Aurorae Apollinis uti dicebat; Venus enim semper in talibus fabulosis narrationibus partes suas agit, ita ut ei homines quovis modo propter amorem praematuram mortem obeant [117]). Hic venatus, qui non propter periculosas bestias nec propter praedam susceptus est, sed propter solitudinem silvarum, in quibus dei cum hominibus loquontur, diu latebat in vita Graecorum. Denuo revivescit hellenisticis, quae nunc dicuntur, temporibus. Nam tum homines tenerrimis quibusdam cogitationibus obsecuti gaudebant sub divo morari in solitudine silvarum et propter talem in solitudines secessum venationem colebant. (Alio capite huius opusculi in hanc rem revertar.) Rem hoc modo se habuisse cognoscitur ex sarcophagorum ornamentis. Nobiles enim viri, qui in eis sepulti erant, per vitam libenter venatui dediti in sarcophagorum lateribus celebrabantur venationum imaginibus. Accedebat quod venationes heroum omnino ad sepulcralia ornamenta gratae et aptae videbantur. Materia depromebatur ex fabulis Meleagri Hippolyti Cephali Actaeonis aliorum qui venatores strenui fuisse dicebantur et iuvenes morte absumpti sunt. Post hanc digressionem redeo ad tragicos, apud quos etiam maiores difficultates parat altera pars, dico voces, quas ex sermone venatico in cotidianum transisse verisimile est. Omitto verba velut *διώκω* et *φεύγω* sim. propterea quod ansam praebere non videntur. Sed etiam derivatae voces, ut *δίωγμα*, huc pertinent. E. g. apud Aeschylum [118]) umbra Clytaemestrae chorum Furiarum his verbis monet: *ἕπου μάραινε δευτέροις διώγμασιν.* Venaticum esse terminum demonstratur libro Cynegetico Ps.-xen., ubi de canibus quibusdam contenditur [119]) *πολλαὶ δὲ τὰ*

117) cf. Ed. Schwartz: Theocrits Daphnis. Nachr. d. K. Ges. d. Wiss. z. Göttingen. Phil.-hist. Kl. 1904 no 4.

118) Aesch. Eum. 139.

119) Cyn. III, 9. cf. Eur. Herc. 898 *κυναγετεῖ τέκνων διωγμόν.*

διώγματα ἀφιεῖσαι ἐπανέρχονται διὰ τὸ μισόθηρον, πολλαὶ δὲ διὰ τὸ φιλάνθρωπον.

Deinde iure quispiam dixerit voces multas non ex venatico sermone in cotidianum sed ex cotidiano sive campi circensis sive aliunde esse a venatoribus receptas. Quibus sine ulla dubitatione continetur vox campi *δρόμος*, quae in vocem artis venaticae propriam abiit. In Cynegetico exempla inveniuntur [120]) *οἱ δὲ ἤδη ἔτειοι* (lepores) *τάχιστα θέουσι τὸν πρῶτον δρόμον, τοὺς δὲ ἄλλους οὐκέτι* ..... aut: *καὶ ἐὰν μὲν ἑαλωκὼς ᾖ ἐν τῷ πρώτῳ δρόμῳ, ἀνακαλεσάμενον τὰς κύνας ζητεῖν ἄλλον* .... aut in cervis venandis: *βιασθεῖσαι δὲ τοῦτο τὸν μὲν πρῶτον δρόμον αἱ κύνες ἀπολείπονται* ...... *δευτέρῳ δὲ καὶ τρίτῳ δρόμῳ ταχὺ ἁλίσκονται* (*οἱ νεβροί*). Qui usus Aeschylo notus fuisse videtur. Nam in Agamemnone [121]) scriptum legimus de aquilis leporem lacerantibus hoc:

> *βοσκόμενοι λαγίναν, ἐρικύμονα, φέρματα, γένναν*
> *βλαβέντα λοισθίων δρόμων.*

Item de voce latrandi miro modo liber Cyneg. et Aeschylus consentiunt [122]). Sed talibus vocibus non iuvamur. Itaque exempla potius eligenda sunt, de quibus dubitari non potest, velut voces radicis *θηρ—*. *θῆρες* enim innumerabilibus locis opponuntur animalibus domesticis ita ut *θῆρες* sint ferae, interdum bestiae. Derivata ex hac radice sunt verba *θηράω θηρεύω*, quae proprie persecutionem ferarum significant. Ex eo quod non solum scriptores historici (cf. Herodotum II, 77), philosophici (cf. Platonem), sed etiam oratores quamvis in translationibus adhibendis parcissimi talibus verbis utuntur, apparet eum usum esse non tam tragico sermoni quam Atticae linguae, potius fortasse omnino Graecae tribuendum. Significationem concupiscendi apud tragicos persaepe invenimus, e. g. apud Aeschylum [123])

120) Cyn. V, 14. VI, 19, IX, 10. 121) Ag. 116.

122) *κλαγγή, κλαγγα(ί)νω* Cyn. IV, 5. V, 19. VI, 17. III, 9. IV, 5 (*ἐπανα—*). VI, 23 Aesch. Eum. 131. Ceteri scriptores utuntur vocibus *ὑλάω ὑλακτέω ὑλαγμός.* 123) Aesch. Prom. 860.

θηρεύσοντες οὐ θηρασίμους γάμους

apud Sophoclem[124])

τυραννίδα θηρᾶν

θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα

πολλῆς ἀνοίας καὶ τὸ θηρᾶσθαι κενά.

apud Euripidem[125])

τὰς ἐμὰς ἀναρπαγὰς θηρᾷ

θηρᾷ γαμεῖν με

ὁ θηρεύων γάμους

μέγα τι θηρεύειν ἀρετάν

θηρῶσι λέκτρον τοὐμόν

θηρῶν ὃ πάντες κοὐκ ἐγὼ ζητῶ μόνος

οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις .....

οὐ γὰρ κατ' εὐσέβειαν αἱ θνητῶν τύχαι
τολμήμασιν δὲ καὶ χερῶν ὑπερβολαῖς
ἁλίσκονταί τε πάντα καὶ θηρεύονται ....

Vocem *θηρευτής* significatione viri qui quaerit petit concupiscit iam elatiori sermoni esse tribuendam Aristophanes[126]) Socratem *θηρευτὰν λόγων φιλομούσων* irridens ostendit. Eadem ratione est de his locis iudicandum Aeschyli[127]) aut cum dicit de oestro Ionem propulsante:

κυναγετεῖ τε πλανᾷ τε

aut cum Graecos Helenam insequentes cum venatoribus comparat:

πολύανδροί τε φεράσπιδες κυναγοὶ
κατ' ἴχνος πλατᾶν ἄφαντον
κέλσαντες Σιμόεντος.

[Euripidi quoque hac in occasione fortasse imago venationis in animum venit. Nam Helenam de Menelao narrantem facit[128])

..... ὁ δ' ἄθλιος πόσις
στράτευμ' ἀθροίσας τὰς ἐμὰς ἀναρπαγὰς
θηρᾷ πορευθεὶς Ἰλίου πυργώματα.]

---

124) Soph. O. R. 542. Ant. 92. El. 1054.

125) Eur. Hel. 51. 62. 314. Iph. Aul. 568. 959. Or. 679. frg. 431. frg. 437. 126) Ar. Nub. 258. 127) Aesch. Prom. 572. Ag. 694 sq. 128) Eur. Hel. 49 cf. Troades 369.

Plura de his vocibus *θηρᾶν θηρεύειν* sim. dicentur quo loco de iisdem verbis apud oratores agetur, nunc aliud mihi cordi est. Praeter hos singulares enim locos animadvertimus certis in fabulis terminos technicos, translationes, exempla, similia, quae rem venaticam tangunt, miro modo accumulari et inter se esse variis relationibus coniunctas. Itaque mihi liceat acrius in officinam quasi et operam poëtarum tragicorum inquirere. Hoc non solum Apollo et Diana venatici dei qui interdum in fabulis partes suas agunt effecerunt, sed imprimis alia, quae postea quidem in monumentis quoque usitata est, cognitio eorum numinum, quae insaniam hominibus adducunt. *Ἄτην* enim, *Λύσσαν*, alias quae ad furorem vel dementiam incitant deas poëtae tragici pro venatricibus habent. Quam opinionem Aeschylus affirmat in Prometheo[129]) *μηδὲ πρὸς Ἄτης* (potius maiuscula scribimus pro *ἄτης* editionum) *θηραθεῖσαι μέμψεσθε τύχην.* Tales saevae venatrices homines compellunt in perniciem, cuius signum est rete venatorium Graece *ἄρκυς*. (De ratione quae interest inter Furias et Mortis rete venatorium infra disputabitur.) Itaque Euripides[130]) dicere audet (voce puerorum in fabula Medea): *ὡς ἐγγὺς ἤδη γ' ἐσμὲν ἀρκύων ξίφους,* id quod scholiis sic explicatur: *ἀρκύων· τοῦ ἀφύκτου θανάτου.* De eodem versu adnotat de Wilamowitz in comm. Herc.[131]):

„Man soll solche Vermischungen nicht loben und tut „gut, sich selbst ihrer zu enthalten. — Ob Euripides be„wußt in diesen Fällen ein Bild mißbraucht hat, steht „dahin. Aber es fehlen nicht Beispiele, wo nur in einem „Zuge ein Bild angedeutet ist, weil für den, dem die „Sprache lebendig ist, nicht mehr von Nöten ist."

Si explicationem supra praemissam receperimus, hanc vocem non iam „eigentlich widersinnig" (Wil.) nominabimus, sed tragico sermoni quam maxime elato tribuemus. Eodem modo Pentheus irridet Bacchum ante se ductum[132]): *ἐν ἄρκυσιν γὰρ ὢν οὐκ ἔστιν οὕτως ὠκὺς ὥστε μ' ἐκφυγεῖν*, i. e.

---

129) Prom. 1072. 130) Medea 1278. 131) Wil. Eur. Herc. ¹II, p. 187. 132) Bacch. 451.

iam neci devotus me effugere non potest. Similiter apud Aeschylum[133]) Cassandra exclamat: *μαλ' ἄρκυς ἁ ξύνευνος, ἁ ξυναιτία φόνου.* Verba significant uxorem Agamemnonis ei mox mortem allaturam. Seiungendus est hic versus ab eo qui praecedit *ἦ δίκτυόν τί γ' Ἅιδου;* nam Orci rete est piscatorium ex oraculis bene notum, in quod omnes mortales recipiuntur. Sub utroque autem subaudiebant Athenienses *χιτῶνα,* quem Clytaemestra marito superiecisse dicebatur. Scholiasta addit *φαντάζεται τὸν χιτῶνα.* Alio scholio, quo Eur. Or. vs 24 *ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι* explicatur, narratur res hoc modo: *ἡ γὰρ Κλυταιμήστρα χιτῶνα ὕφανεν οὔτε ταῖς χερσὶν οὔτε τῇ κεφαλῇ ἔκδυσιν ἔχοντα, ὅπως μὴ Ἀγαμέμνων ἀμύνασθαι δύναιτο τοὺς φονεύοντας. Αἴσχυλος δέ φασιν* [frg 365] *ἀμήχανον τέχνημα καὶ δυσέκδυτον.* Aeschylo (fragmento fabula deest) laudato patefit, unde scientia scholiastae orta sit. Quaeritur nunc, ex quo auctore vel epico vel lyrico Aeschylus hunc *ἄρκυν* Agamemnoni perniciosum, in quo miro modo vestis, *δίκτυον* (= rete piscatorium Orci), rete venatorium (= Mortis) mixta sunt, acceperit. Nam in Homerico carmine[134]) Agamemnon in cena occiditur inscia Clytaemestra. Aeschylum sequi vestigia Delphici cuiusdam poëtae de Wilamowitz in praefatione editioni Choephoron praemissa exposuit[135]). Fortasse ille ignotus poëta etiam dolum vestis induxit. Vestimentum sub specie retis venatorii apud Aeschylum primum in Agamemnonis fabula invenitur. Apparet hanc mutationem esse coniunctam cum studio poëtarum tragicorum voces cotidianas tollendi et earum loco venaticas ponendi. Ita sermonem reddere elatiorem voluerunt. Ad idem studium pertinet quod Furiae putantur et finguntur saevae venatrices. Sed plane ignoramus, quo primo tempore Furiae hanc speciem acceperint. Euripidis demum aetate tales in imaginibus pinguntur. Artifices vasculorum igitur pictorum poëtas sequontur neque explicationem dare possunt. Itaque discerni non potest, utrum Furiae venatrices an rete venatorium Mortis an Agamemnonis vestimentum primum locum obtineant.

133) Ag. 1116. (1018 K.) 134) Od. IV, 519 sqq. 135) Wil. in isagogae pag. 21 sqq.

Quocumque modo res se habet, una certe ex eis opinionibus postea celeriter vulgo receptis alias figuras, quae ad rem venaticam pertinent, secum duxit. Poëtae tragicae his vocibus tantopere delectantur, ut eis utantur ipsis elatissimi sermonis locis, qua in re saepe observari potest animos poëtarum incitari vel nominibus dearum, quae sunt *Λύσσα Ἄτη,* vel ex pernicioso reti Mortis, piscatorio Orci vel ex quavis voce cotidiana proprie venatica velut *θηρεύειν.*

Hanc meam opinionem compluribus exemplis affirmare conabor.

Apud Aeschylum invenimus breviloquentiam *ἄρκυος* pro pernicie in Agamemnonis s. d. versu. Eadem virgo Cassandra, quae fatidico ore Clytaemestram quasi perniciem mariti appellat, paucis versibus ante ipsa comparatur cum fera nuper capta: *τρόπος δὲ θηρὸς ὡς νεαιρέτου* i. q. explicatur a Clytaemestra *λιποῦσα μὲν πόλιν νεαίρετον.* Cum cane venatica postea comparatur Cassandra a choro his verbis[136]):

> *ἔοικεν εὔρις ἡ ξένη κυνὸς δίκην*
> *εἶναι, ματεύει δ'ὧν ἀνευρήσει φόνον*

in quos respiciunt versus[137]):

> *καὶ μαρτυρεῖτε συνδρόμως ἴχνος κακῶν*
> *ῥινηλατούσῃ τῶν πάλαι πεπραγμένων ....*

In Eumenidibus quod termini venatici nonnullis locis cumulantur, non miramur. Nam *Ἐρινύες,* quamvis per se magnae deae, sunt canes deorum quasi venaticae, i. q. de Wilamowitz sic expressit[138]): „Wenn sie Hunde sind, so sind sie Schweißhunde: sie jagen nur den Blutbefleckten." — Species et umbra Clytaemestrae excitat Furias in somno crudeliter murmurantes[139])

136) Agam. 1047. 137) Ag. 1140.

138) Wil. Herc. Eur. ¹II, pag. 216.

139) Eum. 130. 139. 147. 228. 246. ad *λαβέ* cf. *λαβὲ σάκκον* Arch. Anz. (A. Ztg.) XIII No. 74 p. 36*. ad *κλαγγαίνω* v. s. ad *ἐκλείπων* cf. Ps. Xen. Cyn. III, 10 *οἱ δὲ ἄψυχοι καὶ λείπουσι τὰ ἔργα καὶ* .... IV, 6 *λείπωσι τὰ κυνηγέσια* IV, 5 *πρὸς δὲ τὸν κυνηγέτην μὴ ἐπανίτωσαν*

Xo. *λαβὲ λαβὲ λαβὲ λαβέ, φράζου*
Κλ. *ὄναρ διώκεις θῆρα, κλαγγα(ί)νεις δ' ἅπερ*
κύων μέριμναν οὔποτ' ἐκλείπων πόνου.

ἔπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν.

Xo. *ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν οἴχεταί θ' ὁ θήρ.*
ὕπνῳ κρατηθεῖσ' ἄγραν ὤλεσα.

ἐγὼ δ', ἄγει γὰρ αἷμα μητρῷον, δίκας
μέτειμι τόνδε φῶτα κἀκκυνηγετῶ [codd. *της*]

τετραυματισμένον γὰρ ὡς κύων νεβρὸν
πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκματεύομεν.

Ex Sophoclis fabulis duas eligo, Aiacem et Philoctetam. In fabula Aiacis ratiocinatio poëtae — sit venia verbo de divino et poëtico animi labore — haec fuisse videtur. Aiax propterea quod duces Graecorum noctu interficere in animo habuerat, a Minerva insania affectus est. Insania autem, *Ἄτη* saeva venatrix, ut crudelem venationem, *ἄγραν* pecudum, gesserit, effecit (v. 64: *εὐκέρων ἄγραν ἔχων*). His duobis quasi venatibus (in primo venatrix est *Ἄτη*, praeda autem eius Aiax, in altero Aiax venatur animalia domestica, pastores canesque eorum.) commotus est, ut duas alias imagines venaticas adderet. Altera est indicata translatione, ubi Teucer fratrem quaerit

διώκων κἀξιχνοσκοπούμενος[140]).

Eo melius hoc loco in fabulae argumentum quadrat, quod Teucer, cum Aiax sibi manus inferret, venandi causa abierat[141]). Altera imago venatica est in fabulae initio, ubi Ulixes Telamonium investigat. Accedebat, quod poëta Ulixis venandi studium in Homeri carminibus saepe laudari memoria tenebat. Iuvenis enim Ulixes apud Autolycum

---

λιποῦσαι τὰ ἴχνη. — ad *διώγμασιν* v. s. — ad *ἐκπέπτωκεν* cf. vice versa Cyn. V, 28 *εἰς τὰς ἄρκυς ἐμπίπτων.* — ad *ὡς κύων νεβρὸν* cf. Bacch. 866 sq.

140) Ai. 996/7. 141) cf. vs. 564. 343. 720.

avum cum consanguineis aprum venatur. Ithacae ei est canis nobilis venaticus, qui cum dominum revertentem cognoscit, moritur. In itineribus suis, i. e. in erroribus, cervum et capras sociis cibo capit. Nunc videamus terminos technicos in fabulae primis versibus *θηρώμενον* (2) *κυνηγετοῦντα* (5) *ἴχνη νεοχάραχθ'* (6) *εὔρινος βάσις κυνὸς Λακαίνης* (8) *ἰχνεύω* (20) *κατ' ἴχνος ᾄσσω, σημαίνομαι* (32) *κυναγία* (37). Iniuria Nauck versus 4—6 delere et versum velut *Αἴαντ' ἰχνοσκοποῦντα τεκμαρούμενον* supponere vult. Offendit vero in constructione *κύων κυνηγετεῖ* . Ulixes quidem (quamvis *κυνηγετῶν* in versu qui sequitur) cum cane Laconica comparatur neque ullus Graecus dicere potest: 'canis canem ad venatum ducit'. Sed ne libertas poëtici sermonis laedatur caveat, qui cum poëtas tractat corruptelas corrigere conatur. Nam summa arte sensim progreditur poëta ex *θηρώμενον* quae est vox cotidiana ad *κυνηγετοῦντα* terminum venaticum postremo ad audacter conformatam translationem ipsius canis. *θηρᾶσθαι* per se apud Graecos nihil aliud iam significabat nisi 'consectari'. Hoc ergo loco Minerva incipit loqui: Iam diu observavi te inimicis tuis nocere concupiscentem. Pergit *καὶ νῦν*, i. e. hoc in opere te video. Vox *θηρᾶσθαι* in animo poëtae imaginem venationis posuit. Ex venatore transit dea ad canem ipsum humi investigantem. Itaque versus deleri nolim (Jebb adnotat: The transition from one image to the other is natural and easy.) et conferendos commendo vss. 32 et 37, quo loco Ulixes se voce *σημαίνομαι* canem significat, Minerva autem de *κυναγίᾳ* eius loquitur.

In Philoctetae fabula tota fere res agitur de arcu Herculis, quo ad Troiam expugnandam opus esse oraculum extabat. Eodem arcu Philoctetes vulneratus in insula sibi aves cibo captat. *Θηροβολοῦντα πτηνοῖς ἰοῖς* Neoptolemus Philoctetam appellat[142]) et *θῆραι χαροπῶν τ' ἔθνη θηρῶν*[143]) praeda eius sunt. Arcu videtur poëtae occasio data esse, ut venaticarum rerum solito saepius mentio fieret cogitationibus poëtae hac re commotis. Ipse enim arcus a

---

142) Philoct. 165. 143) 1146.

Graecis ducibus dignus qui cupiatur vel potius captetur (*θηρατέα τόξα*)[144]) putatur ita, ut quasi venationem arcus gerant, cui praesint Neoptolemus et Ulixes. Haec cognoscuntur ex ipsis Neoptolemi verbis[145]): *ἐγὼ δ' ὁρῶ οὕνεκα θήραν τήνδε ἁλίως ἔχομεν τόξων.* Ulixem supra vidimus poëtae strenuum venatorem visum esse. Etiam aliud exemplum eadem fabula praebetur. Mercator enim Helenum Priami filium ab Ulixe captum appellat *θήραν καλήν*[146]). Sic iterum Ulixes Philoctetae supervenit ut venator feris inopinantibus[147]):

οἶ ' αὖ μ' ὑπῆλθες, ὡς μ' ἐθηράσω, λαβὼν κ.τ.λ.

Quin etiam vinciri Philoctetam, ne fugiat, Ulixes iubet. Tum ille manus suas alloquitur[148]) .... *ὦ χεῖρες*

.... *ὑπ' ἀνδρὸς τοῦδε συνθηρώμεναι.*

Apte quadrat ad sermonem venaticum illud miserrimum Philoctetae[149]):

καὶ μ' οὓς ἐθήρων πρόσθε θηράσουσι νῦν (q. s. aves).

Haec pro pluribus sufficiant. Sophocles igitur non minus libenter quam Aeschylus terminos venaticos inserit, Neque his duabus fabulis constringitur haec res, sed etiam in ceteris talia inveniuntur, velut in Antigona[150])

χ' ἡμεῖς ἰδόντες ἱέμεσθα, σὺν δέ νιν
θηρώμεθ' εὐθὺς οὐδὲν ἐκπεπληγμένην

aut in fragmentis[151])

ἐν τῷ Πηλίῳ πᾶν μῆλον θηρῶντα.

Ad Euripidem transeamus, qui et ipse praeclara exempla meae opinioni addit. Primum habeant locum Bacchae. Qua in fabula Pentheus *ὑπ' Ἄτης* deceptus Bacchum coli et Bacchas vagari vetat atque ob eam rem crudeli modo a matre sociisque eius interficitur. *Ἄτην* eum in mortis *ἄρκυν* pepulisse vere dicere possumus. In fabula autem iterum iterumque venatio translatis significationibus verborum inducitur. Pentheus[152]) omnes Bacchas de silvis depulsurus dicit:

ὅσαι δ' ἄπεισιν, ἐξ ὄρους θηράσομαι
(v. 231) *καὶ σφᾶς σιδηραῖς ἁρμόσας ἐν ἄρκυσι παύσω.*

Inseritur paulo post quasi fatidice fabulosa narratio de morte Actaeonis, quem venaticam suam artem inepte iactavisse Cadmus monet[153])

.... *κρείσσον' ἐν κυναγίαις* (Matthiae, *κυνηγίαις* LP)
Ἀρτέμιδος εἶναι κομπάσαντ', ἐν ὀργάσιν.

Pentheus autem servos emittit iubendo[154]):

οἱ δ' ἀνὰ πόλιν στείχοντες ἐξιχνεύσατε
τὸν θηλύμορφον ξένον κ.τ.λ.

qui reversi nuntiant[155]):

Πενθεῦ πάρεσμεν τήνδ' ἄγραν ἠγρευκότες
ἐφ' ἣν ἔπεμψας ....

Mortem peregrini se praedicere posse ratus Pentheus servos recedere iubet his verbis[156])

μέθεσθε χειρῶν τοῦδ' · ἐν ἄρκυσιν γὰρ ὢν
οὐκ ἔστιν οὕτως ὠκὺς ὥστε μ' ἐκφυγεῖν

(*ἄρκυες* sunt vincula, quasi rete venatorium, ex quo morti traditur peregrinus).

Bacchus ipse autem a Pentheo vituperatur[157])

τὴν Ἀφροδίτην καλλονῇ θηρώμενος.

Paulo post nuntius quidam de viris agrestibus refert, qui ut de Pentheo bene mereantur mulieres captandi consilium ceperint[158]):

πλάνης κατ' ἄστυ ... ἔλεξεν εἰς ἅπαντας ..
.... *θέλετε θηρασώμεθα*
Πενθέως Ἀγαύην μητέρα.

Qua re comperta Agaua socias monet[159]):

ὦ δρομάδες ἐμαὶ κύνες
θηρώμεθ' ἀνδρῶν τῶνδ' ὕπο.

Quibus verbis iam permutatio indicatur, quae Pentheo

---

144) 116. 145) 841. 146) 609. 147) 1007.
148) 1005 cf. Aeschyli Choeph. 480 *πέδαις δ' ἀχαλκεύτοις ἐθηρεύθης, πάτερ.*
149) 958 cf. O. C. 1026 *καὶ σ' εἷλε θηρῶντ' ἡ τύχη.*
150) Antig. 433. 151) frg inc. 911.

152) Bacch. 228. 153) 339. 154) 352 sq. cf 459.
155) Bacch. 434. 156) 451. 157) 459. 158) 719.
159) 731.

venatori perniciei est. Nam Bacchae mutantur in canes. Mox *αἱ θοαὶ Λύσσας κύνες*[160]) lacerabunt venatorem, sicut Actaeonem. Iam laetatur Bacchus[161])

ἀλλ' ἐξιχνεύσουσίν σε, κἂν ἔλθῃς λάθρᾳ.

Commemorandum est hoc loco illud[162]) carmen chori, quo Bacchae se cum cervo comparant qui venatoris rete supersiluit:

θωΰσσων δὲ κυναγέτας
συντείνῃ δρόμημα κυνῶν (*δρομημα* P *δράμημα* Pr.-W.).

Tum *αἱ Λύσσας κύνες* (cf. v. 977) *τὸν θηραγρ[εύ]ταν Βακχᾶν* (v. 1020) venantur, tum excitat Agaua[163])

.... *φέρε περιστᾶσαι κύκλῳ*
πτόρθου λάβεσθε, Μαινάδες, τὸν ἀμβάτην
θῆρ' ὡς ἕλωμεν.

Plane perturbata mente mater infelix per urbem vagatur[164]), *χωρεῖ δὲ θήρᾳ δυσπότμῳ γαυρουμένη*

τειχέων ἔσω τῶνδ', ἀνακαλοῦσα Βάκχιον
τὸν ξυγκύναγον, τὸν ξυνεργάτην ἄγρας, ...

Amens Agaua gloriatur[165]) *ἔμαρψα τόνδ' ἄνευ βρόχων νέον λίν*, [confer quae postea (v 1237) dicit: *ἐς μεῖζον ἥκω, θῆρας ἀγρεύειν χεροῖν*] deinde[166]) *λέοντος ὃν πάρειμι θηράσασ' ἐγώ* .... et Bacchum invocat: ὁ *Βάκχιος κυναγέτας* ....

Baccho adiutore se leonem catulum venatam esse credit Agaua sine retibus, sicut Achilles cervos capiebat, et sine telo, nam manibus filium laceravit (v. 1237).

Per totam igitur fabulam iterum iterumque venationis imagines repetuntur. Tria alia exempla afferam, quibus locorum affinitas confirmetur. Primum Oedipodis Regis est, ubi investigatio Laii interfectoris sub imagine venationis describitur[167]):

160) 977. 161) 817. 162) 868. 163) 1106.
164) 1144. 165) 1174. 166) 1215.
167) Oed. R. 108. O. R. 221. 275. 476. 566.

οἱ δ' εἰσὶ ποῦ γῆς; ποῦ τόδ' εὑρεθήσεται
ἴχνος παλαιᾶς δυστέκμαρτον αἰτίας;

.... *οὐ γὰρ ἂν μακρὰν*
ἴχνευον αὐτό, μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον

ἀλλ' ἐξερευνᾶν

τὸν ἄδηλον ἄνδρα πάντ' ἰχνεύειν.
φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν
ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ
πέτρας ἅτε ταῦρος

ἀλλ' οὐκ ἔρευναν τοῦ θανόντος ἔσχετε.

Alterum Hecubae est. Hic in verbis Polymestoris[168])
ἐκ δὲ πηδήσας ἐγὼ θὴρ ὡς διώκω τὰς μιαιφόνους κύνας
alludi mihi videtur ad eiusdem miserabile carmen[169])

ὤ μοι ἐγώ, πᾷ βῶ
πᾷ στῶ, πᾷ κέλσω
τετράποδος βάσιν θηρὸς ὀρεστέρου
τιθέμενος ἐπὶ χεῖρα κατ' ἴχνος; — —

versum 1174, qui verba *θὴρ ὡς διώκω τὰς μιαιφόνους κύνας* sequitur, eiecit R. Prinz, quod imaginem disturbaret. Nam hic versus vere

ἅπαντ' ἐρευνῶν τοῖχον ὡς κυνηγέτης

plane aliud describit: non feram quae persequitur canes, sed venatorem qui omnia perscrutatur. Tamen versus retinendus est eodem modo quo illi Aiacis explicati sunt. Ut vivacitatem sermonis ad summum efferat, poëta imagines varias coniungit [cf. p. 33 l. 8—28].

Tertium Helenae fabulae debetur. Theoclymenus, regis Aegypti filius, qui versibus[170])

ἄπεστι δὲ κυσὶν πεποιθὼς ἐν φοναῖς θηροκτόνοις

et postea[171])

ὑμεῖς μὲν οὖν κύνας τε καὶ θηρῶν βρόχους
δμῶες κομίζετ' εἰς δόμους τυραννικούς

168) Hec. 1172. 169) Hec. 1056.
170) Hel. 154. 171) 1169.

lucide venator demonstratus est, aptissime Helenam in matrimonium concupiscere dicitur in verbis Helenae [172])

θηρᾷ γαμεῖν με

et *πλὴν ὁ θηρεύων γάμους.*

Ipse Theoclymenus postea Helenam alloquitur [173])

τί χρῆμα θηρῶσ' ἱκέτις ὠρέχθης ἐμοῦ;

Quamvis sit ipsa in voce *θηρᾶν* translatio non tam audax quam primo obtutu videtur, tamen digna est quae commemoretur.

Prolata pars tantum est omnium locorum qui huc spectant. Sed mihi esse inutile videbatur materiem accumulare, quia neque omnes clare operam poëtae ostendunt neque mihi in hoc opusculo spatium relinquitur, ut omnia ad finem perducam. Itaque nonnulla tantum de consilio et ratione poëtarum addere mihi liceat. Qui triginta annis ante de metaphoris et translationibus apud poëtas tragicos usitatis scripserunt [174]) materiem in capita ex rebus desumpta disposuerunt, velut quae poëta de corpore humano, de agricultura, de navigatione, de piscatu, de venatu deprompserit. Sed iam Rappold hanc dispositionem perturbavit, cum in singulis partibus iterum locos eiusdem sensus composuit. Herzer demum rationem dispositionis plane vertit. Incipit enim non a rebus, sed consilium poëtae observat. Praeclare sibi quaestionem proponit: 'Quo modo poëtae, cum eis proprie dicta verba et appellationes in personas aut res quadrare non videbantur, translationibus imaginibusque sermonem maiore sublimitate et claritate conati sunt afficere?' Deinde contendit Herzer magnam partem translationum a poëtis ipsis occasione data denuo esse formatam atque hanc causam addit: 'Hoc enim, ut puto, argumentis probari non opus est poëtas tragicos copiam significationum, quam ex maioribus receperant, quamvis metaphoris, quae certo lyricis poëtis

---

172) Hel. 63. 314. 173) 1238.

174) multos libellos enumerat in ultima pag. Herzer, Ueber den Gebrauch der Metapher b. d. Tragikern. Zweibrücken 1884 (cf Rappold, Die Gleichnisse bei Aeschylus, Soph. u. Eur. Klagenfurt 1876—78).

debebantur, abundaret, ad fines suos non sufficere credidisse'. Herzer igitur tractat materiam alia ratione, componit modos quibus calamitas quibus dolor etc. exprimi possit. Quamquam multo rectius rem agere mihi videtur quam qui praecesserunt, tamen nonnulla reliquit. E. g. distant aperte eae metaphorae, quae cum argumento fabulae conexae sunt, ab eis quae ex animo poëtae vivacitatis tantum gratia additae sunt. Deinde aliae translationes re vera de vita cotidiana iterum iterumque depromuntur, aliae artificiali ratione formatae super certos fines paene abusitantur. Tertium translationes non minus epicis quam lyricis carminibus debentur, velut e. g. iam apud Homerum legimus (Il. II, 111. IX, 18.)

Ζεύς με μέγα Κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ.

Quae imago sermonis fertilissima apud poëtas tragicos ultra aucta est. Sensus et notio vinciendi affigebantur notionibus calamitatis et mortis. Voces, quibus trag. poëta hoc consilio utitur, quam maxime variae sunt. Duo exempla sufficiant.

S. Antig. 1075 } *λοχῶσιν Ἅιδου καὶ θεῶν Ἐρινύες*
ἐν τοῖσιν αὐτοῖς τοῖσδε ληφθῆναι κακοῖς.

O. C. 1722 *κακῶν γὰρ δυσάλωτος οὐδείς.*

Ex hac vinciendi notione absolvitur alius sensus tempore prior. Tenendo enim antecedit actio capiendi vel captandi vel, ut ad finem perveniam, venandi. Priusquam mala fortuna homines funibus et laqueis tenet, pellit eos in machinas bene nexas (*ἐς μηχανὴν πλέκειν*). Utrum poëtae imago piscatus (Trach. 1051. *Ἐρινύων ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον*) an alia ante oculos versetur, nihil differt. Inveniuntur praeterea *ἄρκυς δίκτυον ἀγρεύματα ἕρκος βρόχος βόλος* [175]).

Observanda semper est coërcendi actio. Nescio qua de causa, sive coniunctio tot aptarum imaginum velut

---

175) E. g. *ἕρκος* in Medea (985) significat vestimentum venenatum. In Oreste (1315) gaudet Electra: *στείχει γὰρ εἰσπεσοῦσα δικτύων βρόχους. καλὸν τὸ θήραμ', ἢν ἁλῷ, γενήσεται.* Multa et alia praeclara exempla affert Magdeburg, Ueber die Bilder uud Gleichnisse bei Euripides, Danzig 1882.

circumeundi opprimendi inopinantes pulsandi captandi in perniciem coniciendi vinciendi interficiendi poetis tragicis placuit sive superstitiosis imaginibus Mortis venatricis, Orci piscatoris, Furiarum venatricum saevarum commoti sunt, sive voces artis venaticae sonitu quodam antiquo sermonem poëticum sublimiorem reddiderunt: Aeschylus, Sophocles, Euripides venaticae artis verba libenter in opera sua inseruerunt. Audacissimus est Euripides, audax Sophocles (cf. *χεῖρες συνθηρώμεναι, ἐγγὺς ἀρκύων ξίφους*, mulieres *δοριθήρατοι*). Quin etiam Euripides mihi philosophus magis quam poëta videtur instrumento artificiali nimis audacter usus esse. Quod autem artificiale est, propterea vix ex tragicis concludere licet, eos rem venaticam novisse. Neque igitur inde colligi potest artem venaticam his temporibus apud Athenienses in vita cotidiana floruisse.

De comicis poëtis.

A sermone elato tragicorum poëtarum vertimur ad comicos. Nam si omnino venatio erat consueta Atheniensibus viris, hic venaticarum rerum mentio fieri debuit. Primum locum teneat illud Nubium [176]) de Socrate

χαῖρ' ὦ πρεσβῦτα παλαιογενὲς
θηρατὰ λόγων φιλομούσων.

Quamquam translatio de venatione est desumpta, nemini, quin propter tragicum loquendi genus carminis excludenda hinc sit, erit dubium. Deinde in Eupolidis fragmentis [177]) nonnulla verba servata sunt, quae aperte ad venaticam rem pertinent *Σὺ δὲ τὰ καλώδια ταῦθ' ἀρκυώρει* . (*καλώδια* loco verborum *λίνα κυνηγετικὰ* alioqui non inveniuntur.) Cum nesciamus, quo in conexu verba a poëta sint usurpata, ad explicandum venandi studium hoc fragmentum non magis prodest quam aliud Cratini, quem in *Θρᾴτταις* verbo *ἀρκυωρὸς* usum esse Harpocration testatur [178]).

176) Ar. Nub. 358.
177) Mein. F. C. G. 2, 255 (18) (= Eustath. ad ε p. 1555. 18).
178) Mein. F. C. G. 2, 65 (8) (= Harp. lex. rhet. p. 34, 22).

Cervos olim in Attica esse captos commemorat Antiphanes (mediae comoediae) [179])

Παρὰ δὲ ἡμετέροις προγόνοισιν ὅλους
βοῦς ὤπτων (cj. Jacobs), *ὗς, ἐλάφους, ἄρνας.*

Ipsis autem illis verbis continetur res interea esse mutatas. Praeter hos locos ubique solus lepus laudatur neque praeda venatorum, sed cibus dilectissimus. Quin etiam pro *ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς* dici potest *ἐν πᾶσι λαγῴοις* ad beatam vitae condicionem significandam (cf. Vesp. 709). Leporis caro in cena summam luxuriam indicat [180]):

ἀφέλκετε τὰ λαγῷα ταχέως, τοὺς στεφάνους ἀνείρετε.

κἀμοὶ λεκάνιον τῶν λαγῴων δὸς κρεῶν.

λαγῷα τέτταρα

ἀλλ' ὦ πρὸ τοῦ πεινῶντες ἐμβάλλεσθε τῶν λαγῴων.

Leporem satis rarum fuisse non solum ex Equitum versu [181])

ἀλλ' οὐ λαγῷ' ἕξεις ὁπόθεν δῷς, ἀλλ' ἐγώ

apparet, sed etiam postea affirmatur Nausicratis fragmento [182])

ἐν τῇ γὰρ Ἀττικῇ τίς εἶδε πώποτε
λέοντας ἢ τοιοῦτον ἕτερον θηρίον;
οὗ δασύποδ' εὑρεῖν ἔστιν οὐχὶ ῥᾴδιον.

Quod contra Athenaeus affert '*ὡς πολλῶν ὄντων*' Alcaei fragmentum nihil valet:

κορίαννον ἵνα τί λεπτόν; Β. ἵνα τοὺς δασύποδας
οὓς ἂν λάβωμεν ἁλσὶ διαπάττειν ἔχῃς.

nam *οὓς ἂν* paucissimi esse possunt. Quo factum est, ut ex finitimis regionibus lepores sint importati, e. g. ex Megara [183])

179) Mein. F. C. G. 3, 94 (= Athen. IV, 130 e).
180) Aristoph. Ach. 1006. 1075. Pac. 1150. 1314.
181) Equ. 1192.
182) Mein. F. C. G. 4, 578 (= Athen. IX, 399 e).
183) Ach. 518.

κ' εἴ που σίκυον ἴδοιεν ἢ λαγῴδιον
ταῦτ' ἦν μεγαρικὰ κἀπέπρατ' αὐθημερόν.

aut ex Boeotia[184])

καὶ μὰν φέρω χᾶνας λαγὼς ἀλώπεκας
σκάλοπας ἐχίνως αἰελούρως πικτίδας
ἰκτίδας ἐνύδριας ἐγχέλιας κ.τ.λ.

Athenienses ne in foro quidem semper lepores invenisse fragmentis ostenditur Nicostrati[185])

μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρείως, δασύποδα
ἐὰν περιτύχῃς, ἀγόρασον καὶ νηττία

et Ephippi[186])

ἀλλ' ἀγόρασον — — — —
τοιαῦτα. δασύπους ἄν τις ἐπέλθῃ τις, φέρε.

Utroque loco lepus non nisi occasione data videlicet ex agresti viro emi potest. Hic fortasse quispiam dixerit homines privatos praedam suam ad forum venum non afferre. Sed contra eum, qui forte fortuna leporem aut vulpem necarit et domum secum portarit, sicut in vasculis optime observamus, equidem non venatorem nomino. Ille autem, qui voluptatis causa iterum iterumque venatum exit, feras captas omnes ipse cum familia consumere aut non potest aut non vult, sed praedam suam in foro vendere cogitur. Persuasum habeo tales venatores Athenis tum non exstitisse. De re cynegetica Aristophanis aetate Athenis culta nihil aliud ex eis locis concluditur. Nonnulli alii Aristophanis loci sua quisque interpretatione egent. In Vespis[187]) quidam cogitur res a se puero gestas narrare atque his verbis rogatur:

ἀλλ' ὡς ἢ κάπρον
ἐδιώκαθές ποτ' ἢ λαγών, ἢ λαμπάδα
ἔδραμες, ἀνευρὼν ὅ τι νεανικώτατον.

Id est: Atheniensis iuvenis rogatur, utrum aprum sit venatus an leporem an victoriam facibus currens reportaverit, sed f r u s t r a. Nam aut in iudicio iuvenes otium

---

184) Ach. 878. 185) Mein. F. C. G. 3, 280 (3) (= Athen. II, 65 d).
186) Mein. F. C. G. 3, 343 (1) (= Athen. VIII, 359 a).
187) Vesp. 1203.

peregerunt aut in lectulis libidini vini et amoris dediti. Sin autem quis corporis exercitationem quaerebat, non venatu sed luxuria nobilium equorum res familiares suas perdere solebat, sicut Aristophanes ipse ostendit[188]). Cives Athenienses ipsi non ignorabant corpora humana venatu valde exerceri, cuius rei exemplo eis Lacedaemonii erant. Itaque populi Atheniensis persona in Equitibus[189]) Athenienses cives ad venandum cogere, ut Laconico lusu eos virtute quoque bellica afficiat, his verbis sibi proponit:

μὰ Δί' ἀλλ' ἀναγκάσω κυνηγετεῖν ἐγὼ
τούτους ἅπαντας παυσάμενος ψηφισμάτων.

Hoc quoque loco A. insaniam causarum forensium vituperat.

Pervenimus ad difficillimum locum. In Pluto enim Chremylus servo suo Carioni explicat, quantum valeat argentum, Corinthias quoque hierodulas pecunia satis magna ad gratiam commoveri. Cum de pueris Carion rogat, Chremylus respondet strenuos quidem pecuniam non postulare, sed nobilem equom aut canes venaticas[190]). Si quis concedere non vult pueros esse ex eadem natione dictos qua meretrices, tamen canes illas venaticas fuisse Doricas (sive Laconicas, sive Creticas, sive aliunde) ei persuadeatur. Nam canes dono datae venaticae certo magni pretii fuerunt (quas in domibus amplis exstitisse Athenis apud Platonem legimus) neque erant in Attica natae, sed importatae, nisi ipsae tamen parentes vel priores. Liquet autem hac re artem cynegeticam delapsam fuisse ad puerorum delicias neque verisimile est illa *μειράκια* apros his canibus esse venata, apros quos ad venandos non solum viris adultis sed etiam fortissimis viris opus est.

D e p h i l o s o p h i s.

Descendamus ad scriptores pedestris sermonis, quorum primum locum obtineant philosophi. E quibus Plato Atticus

---

188) cf. Pheidippidem in Nub. 15 sqq., deinde Av. 1442 Eccles. 471.
189) Equ. 1383. 190) Plut. 158.

quidem scriptor, sed magnis itineribus de rebus domesticis aliarum civitatum certior factus venatum bene novit. Nam exempla depromit ex re venatica e. g. cum describit homines, qui quasi dementes aggrediantur [191]) *ὥσπερ οἱ κάπροι οἱ πρὸς τὴν πληγὴν ὁμόσε ὠθούμενοι.* Praeterea saepe canes laudat non solum pastorum, quorum canes mares et feminae una custodiant et una feras venentur [192]), sed etiam nobiles, quorum virtutem praedicat [193]). Hos fuisse canes venaticos mihi ex eis quae sequontur persuasum est. Athenis enim illa aetate exstabant homines, qui ex officio erant *θηρευταί*. Quid eorum munus fuerit non constat. Num canes nobiles educaverunt? Ferasne in cenam paraverunt? Me nescire confiteor. Plato autem eos habet in numero eorum hominum, quibus in urbe strenua et severa non opus sit. Nam una cum inutilibus artificibus eos increpat [194]). Talis *θηρευτὴς* sive hoc loco potius *κυνηγέτης* in Euthyphrone a Socrate intellegi videtur, cum S. docet [195]) *Οὐδέ γε κύνας πᾶς ἐπίσταται θεραπεύειν ἀλλὰ ὁ κυνηγετικός. Εὐθ· Οὕτως. Σω· Ἡ γάρ που κυνηγετικὴ κυνῶν θεραπεία.* Sed hac re non vetamur credere nobiles iuvenes ipsos quoque interdum lepusculum esse venatos. Quin etiam in Glauconis ipsius domo canes venaticas ali apparet ex his verbis [196]) *ὁρῶ γάρ σου ἐν τῇ οἰκίᾳ καὶ κύνας θηρευτικοὺς καὶ τῶν γενναίων ὀρνίθων μάλα συχνούς.* Qui tales canes ante oculos habebat, dicere quoque sciebat *κατὰ ταὐτὰ ἴχνη ταῦτα διώκων* [197]).

Nunc quaeritur, quo Plato ipse animo exercendam artem venandi iudicaverit. Sententia eius patefit ex ultimo capite septimi Legum libri. Utrum sua sponte an quia sententiae aequalium quorundam adstipularetur, venatum in civitatem suam induxerit, Radermacher [198]) dubitat propter cautelas, quibus Plato eum praestrinxerit. Etiam severius Constantinus Ritter de hoc capite loquitur: 'Si quid in Legibus Platonis non est, hoc est'. Sed R., quamquam gravissime vituperat, excusationes quaerit 'elati contorti sancti'

191) Euthydem. 294. 192) De Republ. 451; 466.
193) De R. 375 a, 335 b. 194) De. R. 373 b.
195) Euthyphr. 13. 196) De Republ. 459. 197) 822 d.
198) Mus. Rhen. 51 (1896) p. 628.

sermonis [199]). Mihi persuasum est hoc capite cogitationes Platonis contineri; quin etiam hae ipsae cautelae, quae experientiae Platonis debentur, praecipue sunt philosophi. — Plato igitur venatum putavit utilem, quia iuvenes hoc modo patriam cognoscerent [200]). In suam autem civitatem non quemlibet venatum admitti voluit. Eum solum ad virtutem augendam idoneum esse existimavit, quo adulescentes feras cursu cum canibus superarent aut eas venabulis sive telis sive sagittis percuterent [201]). Noctu autem aut laqueis venari plane vetat.

Qua in re nonnulla animadvertenda sunt. Adulescentes illi in finibus Atticae equitantes, quos cervum (vix aprum) capientes in vasculis pictis nigr. fig. vidimus, certo patriam cognoverunt atque illos respicit Plato. Sin virtutem venando adquirendam esse monet, Lacedaemoniorum studium venandi ei in animo videtur fuisse, quod Platoni notum fuisse sermone inter Atheniensem et Lacedaemonium hospitem in primo Legum libro ostenditur [202]). Tamen intellexit Pl. ingenii facultates nimia corporis virium exercitatione neglegi neque hoc probat [203]): *πρῶτον μὲν εἶπον φιλοπονίᾳ οὐ χωλὸν δεῖ εἶναι — — ὅταν τις φιλογυμναστὴς μὲν καὶ φιλόθηρος ᾖ — — φιλομαθὴς δὲ μή — —.*

Postremo, cum de eis loquitur qui noctu aut laqueis venentur, respicit eos qui quaestus causa feras pisces aves capiant. Hac re transducimur ad Aristotelem. Qui *θήρας* multa genera discernit, e. g. latrociniam, piscatoriam, aucupium, venatum proprie dictum [204]). Ars ergo venatica ei est *κτητικὴ* (*ἐργασία*), ut alio loco dicit [205]), quo Platonem sequitur. Ille in Politico [206]), ubi *τὴν τῆς τροφῆς κτῆσιν* describit iuxta nominat *γεωργικὴν καὶ θηρευτικήν*. Hic in memoriam est revocandum, quod supra de canibus pastorum in Platonis exemplis, qui et custodiant et venentur, est dictum. Aristoteles autem praeterea addit [207]): *Διὸ καὶ ἡ*

199) C. Ritter, Platos Gesetze Darstellung p. 72 anm. et Komm. p. 250.
200) Legg. 763. 201) Legg. 824 sq.
202) Legg. 633. 203) De Rep. 535 d.
204) Arist. *Πολ.* I, 3 (8). 205) V. i. 207 adn.
206) Platonis Politici 289. 207) Arist. Rhetor. I, 11.

πολεμικὴ φύσει κτητική πως ἔσται. Ἡ γὰρ θηρευτικὴ μέρος αὐτῆς, ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρός τε τὰ θηρία, καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὅσοι πεφυκότες ἄρχεσθαι μὴ θέλουσιν, ὡς φύσει δίκαιον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον. Altera ex parte non miramur, quod Aristoteles nobilem lusum venandi bene[208]) novit, quamquam concedendum est eum sibi talem scientiam non Athenis paravisse sed fortasse in Macedonia, de qua terra postea agetur.

De oratoribus.

Oratores Attici quam parci in translationibus sint, explicare non opus est. Exempla collegit A. Roschatt[209]), quorum nonnulla ad venatum spectant. In his primo loco commemoro verba captandi concupiscendi similiaque (velut θηρᾶν, θηρεύειν, θηρευτής, ἐρευνάω)[210]), quae non tam ad sermonem oratorum quam omnino Graecum pertinere supra vidimus. De aliis a Roschattio collatis vocibus dubitari potest, utrum re vera de arte venatica sint desumptae an ex piscatu velut δελεάζειν[211]) an ex alia quadam translatione, cf. προσκαθεδεῖσθαι[212]), ἐπάγειν[213]). Exempla restant, quibus oratores rem venaticam aperte significant. Aeschines[214]) non solum Demosthenem accusat θηρεύοντα iuvenes divites, non solum socios qui sint cum Demosthene appellat τοὺς τῶν νέων θηρευτάς, sed etiam quasi συγκυνηγέτας illudit. Illos autem non apros venari dicit, sed homines. Vox enim quae est θηρᾶν ex nobili tragicorum poëtarum sermonis genere sensim quasi delapsa erat ad deteriora. Primum significabat quamvis fortem cupidinem. Deinde in amoris res abiit ita ut ὁ ἐραστὴς θηρᾶν τὸν ἐρώμενον diceretur. Quo autem magis consuetudo inveteravit philosophi discipulique amicitiam ad amorem referre, eo facilius vox θηρᾶν proprie significabat philosophum adulescentes allicientem. Polemo, cum Xenocratis verbis captus partes illius philosophi sequi constitueret, quasi praeda

---

208) Ar. Rhet. I, 11. 209) Roschatt progr. Straubing 1885/86.
210) cf. Isocr. X, 59 Ps. Isocr. I, 16 Ant. VI, 18 And. I, 9 Aesch. I, 170 I, 195; Ant. V, 29 Ps. Dem. XXV, 61.
211) Dem. XIII, 45 Isocr. VIII, 34. 212) Dem. I, 18.
213) Dem. III, 31 Lys. VII, 22 XII, 60. 214) Aesch. III, 355.

venationis philosophi erat. Narratur enim res a Diogene Laërtio his verbis[215]) ἀκοῦον δὴ τὸ μειράκιον κατ' ὀλίγον ἐθηράθη. Eodem modo de Hipparchia traditur[216]) ἐθηράθη δὲ τοῖς λόγοις καὶ ἡ ἀδελφὴ τοῦ Μητροκλέους. Etiam aliae figurae in philosophorum sermone ex venatione peti solebant, sicut Diogenes dixit[217]) ἑαυτὸν κύνα εἶναι τῶν ἐπαινουμένων, ἀλλὰ μηδένα τολμᾶν τῶν ἐπαινούντων συνεξιέναι ἐπὶ τὴν θήραν.

Fortasse latet in alio quoque facete eiusdem Diogenis dicto[218]) venatica translatio, qui cum videret μειράκιον φιλοσοφοῦν, εὖγε εἶπεν ὅτι τοὺς τοῦ σώματος ἐραστὰς ἐπὶ τὸ τῆς ψυχῆς κάλλος μετάγεις. Metagontes enim sunt Graeci canes venatici per Gratti carmen noti[219]).

Post hanc digressionem ad oratores revertimur. Demosthenes enim Aeschinem proverbio usus irridet[220]) λαγῶ βίον ζῇς δεδιὼς καὶ τρέμων καὶ ἀεὶ πληγήσεσθαι προσδοκῶν. Mihi verba Demosthenis cum Aeschinis supra commemoratis θηρεύων συγκυνηγέται cohaerere videntur. Illud Demosthenis περιστοιχίζεται esse venatorium Harpocration auctor est. apud quem hoc scriptum legimus Δημοσθένης [IV, 9] ἐκ μεταφορᾶς τῶν κυνηγετῶν· κατὰ γὰρ τὰς ἐκδρομὰς τῶν θηρίων ὀρθὰ ξύλα ἱστᾶσιν ἃ καλοῦσι στοίχους ἢ στόχους κ. τ. λ. Alius quoque terminus oratori cuidam placuit. Harpocration enim tradit s. v. ἀρκυωρός Lycurgum in oratione κατὰ Μενεσαίχμου hac voce esse usum. Apparet Lycurgum verbis suis inseruisse translationem quandam, quod in illa oratione rem fuisse de venatu aut retibus venaticis non credo. Contra optime ἀρκυωρὸς refert speciem hominis alicuius, qui perniciem inopinantis adversarii exspectet. Itaque affectui oratoris translatio est tribuenda. Utrum ex vita cotidiana Atheniensium sumpserit an non, eodem iure affirmari quo negari potest.

---

215) Polem. IV, 16. 216) Hipp. VI, 7. 217) VI, 33.
218) VI, 2 (55). 219) Gr. carm. ven. v. 221.
220) Dem. XVIII, 263.

Conclusio.

Nunc paucis verbis repetamus quae de studio Atheniensium ex monumentis et scriptoribus didicimus. Negari nequit Atticam terram olim silvis et saltibus abundavisse, in quibus cervi apri capri aegagri lepores habitabant. Sed incolae Atticae ad venatum non erant idonei. Aut agros coluerunt aut vites aut oleas. In montibus greges caprarum mansuetarum vagari maluerunt quam ferarum. Itaque ferae in montes invios magis magisque repellebantur. Tamen in vasibus nigr. fig. nobiles adulescentes, qui equis utuntur, cervos iaculantes videmus. Exeunte quinto saeculo aper quoque interdum praeda venatorum fuisse videtur. Hoc studium paulatim evanuit. Nam iuvenes alia re delectabantur atque in equis per Atticam vagando. Amori et vino dediti in lectulis iacebant, nisi in iudicio partes accusatorum iudicum reorum agebant. Tali modo antiqua virtus peribat, id quod Aristophanes laudator temporum pristinorum vituperat; sed omnes adulescentes reddere venatores, ut constituit Populus in Equitibus, iam nemo poterat.

Lepus et vulpes tantum in Attica manebant, alter propter fertilitatem alter propter calliditatem. Postea autem Nausicrates etiam leporem desiderat, qui in foro Athenis pro delicatissimo cibo emebatur. Venabantur eum agrestes tum non quasi venatores canibus venaticis nobilibus et retibus, sed quocumque quis modo poterat leporem aut vulpem capiebat. Viri agrestes in urbe tantopere erant grati et exspectati, ut a nonnullis artificibus in vasculis, ut opinor, depingerentur. Heroum venationes, si imagines in ectypis hoc nomine appellare licet, ex antiquioribus desumptae sunt exemplaribus.

Restat ut aliquid de diebus festis Dianae sanctis[221]) addam, quibus dea ἀγροτέρα celebrabatur. Nomen suum ἐλαφηβόλια habent ex cervis antiquissimis temporibus hoc die deae immolatis. Athenaeus[222]) s. v. ἔλαφος refert hos cervos fuisse (postea!) placenta. Non dubium est quin

221) Bekker Anecd. I, 249, 7. 222) Athen. XIV, 646 e.

tum Atheniensibus cervi defuerint. Feras deis esse immolatas viri docti sententiam Pauli Stengeli[223]) secuti diu negaverunt. Nunc nonnullis monumentis haec sententia refelli videtur[224]) — Xenophon Atheniensis quidem sed diu a patria remotus diem re vera Dianae venationibus sanctum lepide describit[225]). Cum Athenis expulsus Scillunte in urbe habitaret, ex praeda Dianae templum et aram instruxit. Quotannis cum civibus et finitimis magnas venationes die festo egit, quarum praeda, i. e. captis cervis apris capris, quisquis frui potuit. Iterum moneo hoc non Athenis fuisse, sed in dorico Xenophontis exilio.

Athenienses igitur studium venandi nobile defecisse supra contendi. Etiam ipsae ferae exceptis lepore et vulpe deerant quarto saeculo. Quomodo factum sit nunc denuo quaerimus, ut in tragoediis tot voces venaticae inveniantur. Ad hanc rem primum monendum est illo tempore, quo sermo tragoediae formatus, res venaticas aliarum gentium satis notas esse Athenis potuisse. Alterum hoc est: poëtae tragici recipiebant figuras venaticas quasi instrumenta ad sermonem altius efferendum ex eis carminibus, quorum ars poëtica exemplaris instar fuerat. Nemo nescit epici sermonis voces in nuntiorum verbis aut doricas carminum formas. Utraque autem ars exculta est et a gentibus venatoriis velut Asiae colonis et eo tempore quo venatio in operis Graecorum cotidianis habebatur. Ea quae poëta epicus his verbis narrare debuit: «Sicut venator pedum impressa diligenter in terra metitur, Ulixes ante tentorium Aiacem investigavit», Sophocles transtulit in colloquium inter Minervam et Ulixem. Supra dixi voces θηράω et θηρεύω non solum apud tragicos poëtas sed etiam apud philosophos et oratores inveniri et propterea cotidianas videri posse. Cui obstat comicos poëtas his vocibus plane

223) apud Pauly-Wissowa s. v. Ἐλαφηβόλια; cf. Herm. 22, 94, Fleckeiseni annal. N. F. 1883. pag. 372.

224) cf. Ἐφημ. 1901 πίν. VI. [p. 113 Wide] et Ath. Mitt. 28 (1903) [p. 279 Pfuhl.]

225) Xen. anab. 5, 3, 7—13. Praeterea cf. L. Weniger, 'Der Artemisdienst in Olympia' in Novis Annalibus XIX (1907) pag. 96.

abstinuisse excepto illo loco, quo Aristophanes tragice loquitur (de Socrate: **θηρευτὰ λόγων φιλομούσων**). Tragici enim poëtae verbum **θηρᾶν** supponunt etiam pro aliis, si quidem sensus admittit. Ita Euripides pro **δοριάλωτος** aut **δορίκτητος** dicit **δοριθήρατος** de captivis mulieribus aut armis hostibus detractis. Cum Aeschyli exempla vim antiquam servent, Euripidis ostenditur locis voces venaticas ei fuisse artis instrumentum tantum ad sermonem efferendum. De usu et abusu apud philosophos et oratores supra locutus sum. Omnibus igitur locis de studio venandi nihil probatur (una exceptione quae infra sequitur), tamen eos tractare mihi opus fuit, ut poëtas ex suo ingenio venationis imagines fabulis inseruisse neque quicquam vitae debere demonstrarem. Nonnulla ad haec addantur vel repetantur. Si Platoni fidere possumus, initio quarti saeculi Athenis exstabant venatores, qui non voluptatis ipsius causa venabantur, sed ex officio munere suo fungebantur. De hoc munere nihil esse traditum valde dolendum est. Verisimile videtur eos viros docuisse iuvenes nobiles artem venandi atque canes venaticas educavisse. Sed nobilissimi tantum et ditissimi adulescentes arti ven. studuerunt. Et canes, quas ex doricis regionibus esse importatas persuasum habeo, quod nusquam nomen Atticarum ven. canum inveni, magis decori in aedificiis alebantur quam usui. Denuo in conspectum redeunt **σκυλάκων ἐπιστάται καὶ διδάσκαλοι θήρας**[226]) multo postea, cum ad filios nobiles Romanos erudiendos Graeculi in Italiam arcessuntur.

De pseudoxenophontei libri scriptore.

Ut ad initium opusculi mei revertar, restat ut nonnullis, quid de aetate libri pseudoxenophontei sentiam, proferam verbis. Concedendum enim est scriptorem illum satis bene Attice scribere scivisse, etsi multa verba aut ab eo solo usitata sunt aut praeter eum apud tragicos poëtas et scriptores pedestris sermonis posteriores solos exstant. Haec verba, quae ex parte ad ionicam linguam pertinere videntur, iam inclinant in sermonem, qui *κοινός* nominari

226) Plut. Aem. Paul. cap. 6.

solet. Initium inquirendi Radermacher in disputatione s. d. Mus. Rhen. tom. 51 fecit. Neque erit facile ex sermone scriptoris ignoti eruere tempus et locum propterea quod inscriptiones multarum dialectorum nos deficiunt. Verborum quaestiones tractare huius opusculi non est, sed hoc capite quae ex cynegetico illo libello ad historiam venatus pertinere possint comprehendere mihi in animo est.

Componamus igitur quae de ignoto scriptore ex suis ipsius verbis concluduntur. Quin Atheniensis esset, antea nemo dubitavit, quoniam Attice scriberet. Sed hoc non ita constat propter inopiam nostrae linguarum scientiae. Licet ille fuerit Atheniensis, ipse sua civitate non gloriatus est, sed omnino de re cynegetica Graeca scripsit, quoad illam noverat. Praecipue venatio leporum et aprorum ei cordi erat. Quae contra de cervis et leonibus et pardis et quae eius generis sunt attulit, non experientiae sed peregrinatorum narrationibus et *ἱστορίαις*, ut Graeco vocabulo utar, videtur debere. Fortasse etiam ipse magna itinera per Graeciam Thraciam Macedoniam Asiam fecit. Nam vir doctus vel litteris deditus scriptor non erat. Studio rei venaticae commotus est ut libellum huius artis conscriberet. Sic. ut exstabant libri in quibus praecepta medicorum coquorum aliorum erant collecta, venatoribus utilia praecipere voluit (cf. . . *δὲ καὶ ὧδε* . .). Itaque eodem sermone, qui et in legibus observatur, utitur. Praecepta infinitivis imperantur; quin etiam *ὅπως ἂν* cum coniunctivo coniunctum de legibus esse depromptum videtur non minus quam dualis numerus (*τοῖν ποδοῖν*), quem Attici diu servabant.

In prooemio et in fine scriptor sermonem et animum elatiores reddere conatur, id quod deis et fortibus viris laudatis efficere studet. Praeterea quam maxime salutem rei publicae se curare contendit. At durā indicis venatorum compositione primi capitis facile intellegitur, quomodo sibi materiam scriptor comparaverit. Nomen cuiusvis viri fortis sequitur explicatio, quae ex historia quadam poëtica et fabulari descripta est.

Summi momenti est scriptorem apparatum artis ex diversissimis regionibus comportare. E. g. linum retium postulat ex Carthagine et Colchide, canes ex Asia et omni Graecia. Equorum autem usum plane despicit, fortasse quod vere nobilis vir non fuit. Qua re pervenimus ad statum scriptoris et aetatem.

Vixisse videtur tempore quo Persarum periculum nondum a Graecia depulsum erat, sed semper imminebat, i. e. ante Alexandri Magni expeditionem.

Deinde tempus determinatur eo quod scriptoris aetate studium venandi plane non florebat. Alio enim modo verba intellegi non possunt quibus explicat quales homines ad venandum apti sint. Praeterea hoc tempore fuerunt homines qui venandi studium vituperarent, i. q. excusationibus fuse et sedule expositis elucet.

Usque ad medium quartum saeculum venatio in Graecia Lacedaemoniis et Macedonibus exceptis in dies magis despiciebatur. Illos tum quidem nihil valuisse constat. Macedones autem nobiles quidquid faciebant quasi praecipere incipiebant. Itaque verisimile videtur scriptorem ex consuetudine Macedonum exponere, quomodo apri excipiantur.

Sed argumenta desiderari concedo. Certo ex orientalibus populis ad Graecos novum venandi studium perveniebat. Hoc probatur usu saepius laudato canum Indicarum. Herodotus (I, 192) primus refert quanti reges orientales canes Indicas aestimaverint. Deinde (cf. Ctes. 5. Aristot. h. a. VIII, 27 de an. gen. II, 7). Aristoteles de earum origine fabulas narrat, quibus canes propter eximiam fortitudinem celeberrimas fuisse apparet. Cum scriptor in venatione aprorum, quae ei certo bene nota erat, Indicas postulet, tum in Graecia iam satis usitatae videntur fuisse.

Supra dixi argumenta deesse. Tamen me non iniuria scriptorem omnibus quae hoc ultimo capite protuli comprehensis initio alterius partis quarti saeculi a. Ch. n. adscribere posse puto. Fortasse floruit ex 350—330 a. Chr.

De Macedonibus et barbaris.

Nemo dubitabit, quin occasione data praecipue in montibus Graeciae hic et illic sive cervus sive aper sive vulpes sive lepusculus sive aliud animal ab insequente viro agresti capta sint etiam quarto exeunte saeculo, sed n o b i l e venandi studium ex barbaris ad Graecos rediit. — Iam exeunte sexto a. Chr. n. saeculo duces exercituum a Dareo emissorum in Europam invaserunt et fortasse iam tum consuetudines suas importabant. Verisimile puto Persarum *παραδείσους* hoc tempore in pacatis terris esse institutos. Altera ex parte Macedones ex satis antiquis temporibus traditum venationis studium videntur servavisse Hegesandro auctore [227]), qui apud Macedones morem fuisse narrat, ut eis solis qui sine retibus suem interfecissent, communi cenae a c c u m b e r e liceret. Usque ad id tempus sedentes cum maioribus natu cenabant. Concedendum autem est morem ad cenam accumbendi ex barbaris demum ad Graecos pervenisse. Itaque quo primo tempore Macedones hoc praemium usu destinaverint determinari non potest. Polybius quoque tradit ipse quam studiosissimus venator reges Macedonum sibi idoneis locis saepta venationi paravisse [228]). Dubium est utrum reges, cum ad nomen regiam potentiam addidissent, hoc modo vetustam consuetudinem venandi fecerint sibi commodiorem, an *οἱ παράδεισοι* regum orientalium fuerint exemplaria ad haec saepta comparanda. Quanti venatus Graecorum sententia a Persis in liberis educandis aestimatus sit, Xenophon in Cyropaedia docet; Cyri minoris quoque *παραδείσους* commemorat. Persas re vera antiquissimam consuetudinem servasse hoc opusculo demonstrari non opus est.

In memoriam revoco pateram Phoeniciam [229]) (cervi venationem) et Darei cuiusdam sigillum [230]) in quo rex leones e curru venatur. Ad quintum saeculum pertinent nonnullae

227) Athen. I, 8a (cap. 31). 228) Polyb. XXXII, 15.
229) Perrot-Chipiez III, p. 759 no 543.
230) P.-Ch. V, p. 848 no 496.

gemmae, in quibus nobiles Persae in equo sedentes petunt leonem aprum cervum ibicem [231]).

Ut studium venandi Graecorum in Asia colonorum illustretur placet laudare unum ex sarcophagis, quae Clazomenis inventa sunt [232]), in quo artifex orygum venationem optime expressit [233]). His cum sarcophagorum imaginibus comparat Pottier [234]) eas, quae in vasculis, quae dicuntur Caeretana, conspiciuntur. Consentiunt enim mira quadam compositionis libertate. Quamquam omnia fere illa vascula sunt effossa in Italia, tamen cervorum palmatorum venationibus, quibus illa ornata sunt, probatur ea vascula prope Asiam esse nata [235]). Imprimis huc spectant quattuor imagines. In duabus cervorum venationem conspicimus palmatorum [236]), in reliquis apri [237]). Aliud exemplum studii venandi eorum hominum, qui orientales oras maris quod nunc Mediterraneum nominatur habitabant, exhibetur sarcophago mulierum lugentium [238]). Regulus enim ille Syriacus, qui videtur fuisse Straton I. rex Sidoniorum, non solum ab artifice in latere sarcophagi venans fictus est, sed etiam tantopere venationi studuit, ut ei mortuo ossa septem canum venaticorum adderentur.

Redeamus ad Macedones. Rebus, quas praemisi, compertis iam non miramur, quod Alexander Magnus, cum in illas regiones invasisset, in quibus *παράδεισοι* regum orientalium erant, summo cum gaudio consuetudinem venandi sive ex antiquis Macedoniae temporibus servatam sive ex oriente receptam ibi coluit. Quin etiam nomen canis Indici, quem Alexander sibi ad leones venandos decem minis emerat, traditum est *Περιτ(τ)ᾶς* [239]). De fortitudine canum Indicorum

231) Furtw. in Gemmis tab. XI, 1—5, 8 XII, 8/9, 10, 12, 14.

232) Joubin de sarc. Claz., Paris. diss. 1901.

233) no 22: vir biga vectus equite comitante oryges sequitur, inter pedes equorum canis decurrit.

234) Pottier, Bull. corr. hell. 1892 p. 240 sqq.

235) cf. Keller, Tiere d. kl. Alt. p. 73 sqq.

236) Bull. corr. hell. XVI (1892) p. 259 fig. 8 Annali d. Inst. 1859 tab. K.

237) Mon. d. Inst. VIII, 17 et VII, 22 (venationem Calydoniam).

238) Studniczka, Revue Archéol. 1905 (ser. IV, tom. 6) pag. 47.

239) Plut. Alex. 61; Polluc. on. V, 41.

multae fabulae narrantur quas referre hoc loco nihil interest [240]). Commemorare velim Alexandri leones venantis simulacrum a Lysippo et Leochare aere esse fictum. Aliquamdiu viri docti etiam sarcophagum magni regis esse Sidone repertum falso putabant [241]). Nam in altera parte inspicitur pugna, in altera leonis venatio. Ultimus hac de re egit Studniczka, qui sarcophagum Abdalonymo tribuit [242]). Exemplum Alexandri imitabantur qui cum eo erant et qui vestigia eius premebant [243]).

De aetate quae dicitur hellenistica.

Pervenimus ad eam aetatem, quam nunc hellenisticam nominare solemus. De magnis permutationibus, quas haec nova aetas secum duxit, tot et tanta a viris doctis [244]) scripta sunt, ut mihi hoc loco ea tantum, quae praecipue ad opusculum meum pertineant, referre opus sit; quin etiam monendum est, ne opinioni praesumptae magis cedatur quam rebus traditis licet. Itaque Helbigi et Woermanni sententiae aliquid restringantur. Certo vita Graecorum ante id tempus melius adaptata erat ad naturam, quam in urbibus magnis quarti saeculi fieri poterat, praesertim cum antea incolae in agris suis habitare neque saepius urbes frequentare solerent quam officiis civilibus postulabatur. Urbibus quidem ipsis, quae propter obsidiones muris cinctae erant, angustae tantum viae erant, ita ut Cimones aliique quinto saeculo e. g. Athenis hortis viisque arboribus saeptis naturam reficere studerent. Sed multo maiore studio naturam quarto et tertio saeculo naturam petebant.

240) cf. Strabonem XV, 700 (703) Aelian. d. nat. an. IV, 19. VIII, 1. Plin. VIII, 40. [cf. pag. 53 l. 26 sq.]

241) Hamdy Bey et Theodor Reinach. Une nécropole Royale à Sidon, Paris 1892.

242) Studn. p. 34 sqq. invenies, qui docti viri adhuc de hac re sententias protulerint.

243) G. Helbig, quaest. Pompeian. v. i.

244) Helbig: Untersuchungen über die campanische Wandmalerei, praecipue pag. 274—278. Woermann: Über den landschaftlichen Natursinn der Griechen und Roemer. Wilamowitz: Kultur der Gegenwart I, 8.

Non solum naturam in urbes revocare studebant, sed vice versa occasiones extra urbes magnas sub divo morandi quaerebant. Exeunt venatores non iam praedae causa sed vires suas exercentes et animos solitudine redintegrantes (Vide excursum ad Euripidem!). Quo factum est, ut Callimachus illud de amico quodam epigramma [245]) composuerit, qui fugientes quidem feras summa constantia petebat, praesentem autem despiciebat. Helbig ex tertio et secundo saeculis nobilissimos viros enumerat, qui venatione otium degere solebant. Praeter reges enumerat regulos et duces militares clarissimos. Ad nobiles [246]) accedunt humiles venatores, velut pastores, qui non tam voluptatis causa quam ut sibi cenam parent aut hostem pecudum profligant, interficiant occasione data lepusculum aegagrum cervum vulpem lupum leonem. Quorum cantatores et laudatores sunt poëtae quidam Anthologiae Palatinae velut Rhianus [247]), Leonidas quoque Tarentinus [248]) et interdum Theocritus [249]).

De magistratu *κυνηγῶν*.

Quantum momenti regiae venationes in aula Ptolemaeorum habuerint ex descriptione pompae nobilissimae apud Athenaeum [250]) apparere iam dudum viri docti observaverunt. Simili aulico munere videntur functi esse illi *κυνηγέ[ται*, qui in Ptolemaei I. inscriptione [251]) laudantur, et ille *ἀρχικύνηγος* inscriptionis Ptolemaei V. Epiphanis [252]). Denuo in conspectum redit *ἀρχικύνηγος* quidam anno 121/120 a. Chr. n., qui se *στεφάνιον* suum rite accepisse affirmat [253]). Postremo anni decimi p. Ch. n. titulo traditur pecuniam certam esse solutam *εἰς λόγον ἀρχικυνήγων* [254]). Quod Thebani Hadriani et Domitiani temporibus pro armis venaticis et navibus [255]) vectigalia solvere coacti erant, Wilcken

245) Call. ep. 31 (Wil.) (= A. P. II, 102).

246) A. P. VII, 338 De sepulcro nobilis iuvenis, qui videtur in venatione interfectus esse.

247) VI, 34.

248) VI, 13; VI, 35; VI, 110; VI, 188; VI, 263.

249) VI, 177.

250) Athen. V, 201 b.

251) Dittbgr. Orient. Gr. inscr. sel. I, 20.

252) Dttbgr. l. c. 99.

253) Wilcken Gr. Ostr. II, 1530.

254) Wilcken II, 1545.

255) *κυνηγίδων* nomen a Wilckeno repertum est. cf. I pag. 228 sqq.

dubitat [256]) utrum *ἀρχικύνηγοι* annorum 121/120 et 10/9 functi sint aulico munere an potius fuerint Thebani magistratus. Haec opinio probatur consideranti neque regales venationes satis crebras fuisse, ut incolas bestiis liberarent neque omnes reges venatui eodem modo studuisse. Quo factum est, ut ex officio municipali naves venaticae Nilum obtinerent, quibus summus venator praeerat. Accolae invicem erant obligati et pro navibus armisque venaticis vectigalia pendere et summo venatori *στεφάνιον* dare. Quae institutio usque ad Romanorum tempora servata est.

De Plauto et Terentio.

Tertio saeculo et secundo a. Ch. n. in Graecia imprimis filii adulescentes divitum videntur nobili venandi studio se dedidisse. Illuduntur enim a Carneade philosopho, qui eos nihil nisi equitare et venari didicisse contendit atque hoc tantum propterea, quod animalia sola eis non blandiantur. His igitur temporibus viri non iam venantur, adulescentes autem sunt iidem, quos in fabulis mediae et novae comoediae primas partes egisse Plautus et Terentius praeclare ostendunt, quoniam Graecae fabulae non sunt servatae. Uterque Latinus poëta gravissima testimonia praebet, de quibus est nunc agendum.

In Plauti Sticho adulescens sine ulla dubitatione artis venaticae peritus patrem his verbis monet: «Stultitia est pater, venatum ducere invitas canes» [257]). Hoc non esse additamentum Plautinum affirmat Terentius, qui poëta quam maxime cavebat, ne Romanas res in fabulas Graecas immisceret. Menandri certo sunt verba Atheniensis [258]):

«quod plerique omnes faciunt adulescentuli,
ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
alere aut canes ad venandum, aut ad philosophos.»

Sicut adulescentes ipsi etiam ei qui cum his sunt servi et alii utuntur vocibus venaticis. Servus in Milite glorioso [259]) se esse inquisiturum promittit quasi canem vena-

256) cf. I, pag. 162.

257) Stich. 139.

258) Andr. 57.

259) Mil. gl. 268.

ticum odorantem usque donec persecutus fuerit volpem vestigiis. Translatum esse ex Graeco ὡς κύων θηρευτικὸς verisimile est. Eodem modo parasitus in Captivis[260]) canibus venaticis opponit Molossos. Venatici canes sunt illi graciles et macri Cretenses, quorum permagnus numerus per totam Graeciam erat distributus. Molossi autem magni Athenis domos custodiebant.

Deinde etsi in Italiae quoque montibus et saltibus apri et lupi et lepores etc. existebant, tamen propterea quod Romanum civem venari dedecebat (id quod postea tractabo), magis Graeca quam Romana proverbia latere videntur in eiusmodi locis

I modo venare leporem: nunc irim tenes[261])
Iam ego uno in saltu lepide apros capiam duos[262])
Cum praeda hic hodie incedat venator domum,
canes compellunt in plagas lepide lupum[263]).
Ipsus illic sese iam impedivit in plagas[264])
Numquam Amor quemquam nisi cupidum hominem
postulat se in plagas conicere
eos cupit, eos consectatur . . .[265]).

Romanorum mos videtur fuisse lupos fovea decipere, de qua captura Horatius illo videlicet proverbio utitur[266]):
«Cautus enim metuit foveam lupus». Graecam iterum originem me cognoscere posse puto ex his versibus:

Viden tu illam oculis venaturam facere[267]).
Hunc qui cepi in venatu meo[268]).
Quam tu mi uxorem? quasi venator tu quidem es dies atque noctes cum cane aetatem exigis[269]).
Euhoe Bacche, Bromie, quo me in silvam venatum vocas[270]).

De hoc versu ultimo nihil addi opus est, cum ὁ Βρόμιος patriam indicet. Sed ceteri quoque Graecae originis esse

260) Capt. 85. 261) Capt. 184. 262) Cas. 476.
263) Poen. 647. 264) Mil. gl. 1388. 265) Trin. 236.
266) Hor. ep. I, 16, 15. cf. et Otto: Die Sprichwörter u. sprichw. Redensarten der Römer. Leipzig 1890.
267) Mil. gl. 990. 268) Rud. 970.
269) Cas. 319 cf. Leo: Plaut. Forsch. 94. 270) Men. 835.

convinci possunt. Venaturam enim Plautus conformavit ad capturam, quae vox aperte videtur iam tum habuisse sensum inhonesti meretricii quaestus. ⟨Venaturam oculis facere⟩ a Plauto transfertur Graecum ⟨ὀφθαλμοὶ θηρῶντες⟩ concupiscentis meretricis. Eodem modo Pl. vix pro ⟨piscatu⟩ dicere potuit ⟨in venatu meo⟩ nisi Graecae exemplo linguae commotus, in qua θήρα venatum piscatum aucupium quin etiam hominum capturam significat, cum ⟨venatus⟩ pro ⟨piscatu⟩ in Romanorum lingua nusquam inveniatur. Item Casinae versus recte demum intellegitur et translatione Graeca, significat enim: Sicut ὁ κυνηγέτης ἄγει τὸν κύνα, tu semper tecum habes oblatratricem.

Sed haec quidem hactenus. Contra enim affirmaverim aucupium et quae cum eo coniuncta sint[271]) esse sermonis Romani. Apud Plautum aucupari sim. semper significat verba auribus excipere, sicut auceps aves plagis captat. Itaque ⟨Illic sese impedivit in plagas⟩[272]) et ⟨hominem in plagas conicere⟩[273]) ad aucupium Romanum non pertinet, sed ad illas a poëtis Graecis receptas opiniones, quas supra apud tragicos fusius tractavi [cf. p. 29 sqq.].

De Romanis.

A Graecis iam transivimus ad heredes eorum Romanos. Qui ultimus Germanus de re venatica apud Romanos egit Lauchert[274]) non dubitavit, quin studium Romanorum venandi genuinum sit, sed postquam prooemii loco elogium venationis praemisit, materia undique conglomerata de Romanorum venatu egit. Ne in animum quidem ei videtur venisse multa eorum quae apud Latinos poëtas inveni-

271) aucupium: Bacch. 792. Mil. gl. 607. 955. 991. 995. Most. 472. Pers. 480. Rud. 1236. Stich. 102. alii sunt conferendi.
272) Mil. gl. 1388. 273) Trin. 257.
274) Fr. Lauchert: Das Weidwerk der Roemer. Progr. d. Gymn. u. Realsch. zu Rottweil 1848. Post eum laudatur G. Baguenault de Puchesse: De venatione apud Romanos. Libellum autem impetrare non potui.

untur Graecis deberi. Quid quod O. Weise [275]) alia ratione eadem assecutus est? In opusculo suo de vocibus Graecis in linguam Romanam receptis observatione verborum commotus in capite, quo de ludis et gaudiis agitur, contendit Romanos nullas esse mutuatos venaticae artis vel aucupii voces e Graeca lingua, quod hae voluptates sint genuinae Romanorum atque Graeco more paene intactae.

Nos cum auctores Romanos consulimus, iam primis Plauto et Terentio diffidere debemus. Nam si quis apud utrumque de rebus Romanis inquiret, caveat ne pro Romanis Graecas res detegat. Neque in re venatica res aliter se habet, sed adulescentes Plautini et Terentiani, qui equis et canibus venaticis delectantur, sunt Graeci atque ille saltus a venatoribus cinctus, in quo duo apri abditi latent, est situs in Graecia.

Cervos apros aliasque feras omnibus temporibus in Italia quoque esse capta negare haudquaquam mihi in animo est. Sed n o b i l e venandi studium non esse genuinum Romanorum hoc probare argumentis conabor.

Sunt igitur viri docti qui velut Lauchert tales quaestiones tractare plane neglegant et qui venatum a Romanis tantidem esse aestimatam putent quanti a Graecis antiquorum aetatum, a Doriensibus, ab hellenisticis qui nunc dicuntur Graecis sive in vita sive in morum praeceptis sive (sententia philosophorum certe) in educatione puerorum.

Inveniuntur re vera in litteris Romanis loci ex quibus talis opinio possit oriri, velut illud Horati ⟨Romanis sollemne viris opus⟩ [276]) vel Plini laudatio venationis quasi futurorum palaestrae imperatorum [277]). Quaerendum autem semper est, num dicta illa vere ex animo Romano emanaverint. De Horati poësi et consiliis in paenultimo capite plura dicentur, Plinium hoc ipso loco coarguam. Panegyrico enim suo celebrat Traianum, qui natu non Romanus sed Hispaniensis erat. Plinius ipse Comensis, fortasse

275) Osk. Weise: Griechische Wörter in der lat. Sprache, Leipzig 1882. pag. 299 cap. XXV. Spiele u. Belustigungen.

276) Hor. ep. I, 18, 49. 277) Plin. Paneg. 81.

Gallica ex gente oriundus, erat pessimus venator. Nam quod in venando non venabulum seu lanceam, sed stilum et pugillares secum portavit, ut frustra venatus illis delectaretur [278]), non magis venatoris est quam illud Horati, ubi de magnifico pompae venatoriae exitu et de miserabili reditu verba facit [279]).

Quaenam Romanorum opinio erat?

Civis Romanus venatum non tam pro ludo, quo corporis vires firmarentur, habuit quam labore humili. Secundo demum saeculo a. Chr. n. Romani non solum artes et litteras sed etiam ludos et voluptates a Graecis receperunt, cuius rei illustre exemplum est Scipio minor qui ab amico suo Polybio, dum obses [280]) ille Romae moratur, factus est studiosissimus venator, id quod Polybius ipse summa cum laetitia narrat [281]). Ribbeck in opere suo de poësi Romana lucide exposuit, quomodo studium venandi a philosophis irrideretur [282]). Argumenta (fere inquit) saturarum erant satis varia. Praeter alia in his erat n i m i u m venandi studium eorum, qui propterea ⟨Meleagri⟩ increpabantur [283]). Ardore quidam, pergit Ribbeck, summo Dianae flagrans vir laetitias huius nobilis artis nuper senariis descripserat. Tum a philosopho quodam sobrie rogabatur, utrum quaestus causa an voluptatis labores currendi, vigilandi, famis pateretur. Si voluptatis causa, certo esse commodius venationes in circo inspicere pedibus intactis quam laesis in silvis vagari. Mea quidem sententia Ribbeck nimis incusat iuvenes. Nam ille philosophus non reprehendit n i m i u m studium venandi, sed totum. Romano nomine indignum esse putabat iuvenes ipsos arma in feras ferre, ut quasi sibi ipsi cibum pararent. Hunc

278) Pl. ep. I, 6. 279) Hor. ep. I, 6, 57.

280) obsidibus populi Romani satis magnam licentiam studiis et gaudiis obsequendi fuisse concessam apparet exemplo Demetri, qui Soter cognominatur. Effugit enim Roma praetexto expeditionis ad aprum venandum emissae. Fortasse iuvenes Romani imitati sunt nobiles obsides.

281) Polyb. XXXII, 15 cf. Helbig Unters. p. 275.

282) Ribbeck, Gesch. der roem. Dichtung ²I. p. 260.

283) Varronis saturae frg. (Buecheler Petron.³) 293—303.

philosophum saturae re vera Romane sentire probatur illo Sallusti [284]), quo agriculturam et venationem servilia officia appellat neque dignas quibus otium suum expleat. Similiter centum quinquaginta annis post Tacitus coniungere verba non dubitat haec: ⟨venatu epulis et quae alia barbari celebrant⟩ [285]). De venatu civis Romanus antiquis temporibus sic cogitabat: Mihi est commodius multitudinem leporum in saeptis ad hunc finem institutis alere quam pro uno quoque per horas laborare. Qua ratione commotus creabat illa ex Varronis de re rustica libris nota leporaria [286]). Deinde cum gustus cervos apros alia postularet, eae quoque ferae in saeptis alebantur, quae aut sicut antea leporaria aut vivaria [287]) nominabantur. Aliter Gemoll [288]) de hac re videtur iudicare eo loco quo ⟨de magnificentissimis aequalium Varronis saeptis⟩ loquitur. Iniuria enim contendere Kiesslingium, haec fere Gemolli sunt verba, studium venandi Graecum Ciceronis demum aetate se apud cives nobiles Romanos insinuavisse. Cum Varro de re rustica II, 9, 5 moneat, ne agricola a venatoribus vel laniis canes emat, cum III, 12 de magnificentissimis ferarum saeptis aequalium suorum referat, postremo cum Romani ne unam quidem vocem (laudat aperte Weisium) venatus vel aucupii sint mutuati, quemvis oportere concludere illas voluptates esse genuinas Romanas atque Graeco more paene intactas. Ut argumenta, quibus se posse Kiesslingium convincere Gemoll putat, perscrutemur incipiamus ex ultimo, quod Weisio debetur. Graecas voces venaticas in latina lingua non inveniri varie explicatur. Neque enim Romanis ipsis antiquis venatio erat ignota, sed modo indignum opus putabant, quod a libero viro exerceretur, neque hac in re Graecia sola est respicienda. Nam inveniuntur voces venaticae non proprie Latinae velut sparus rumex tragula (nisi fallor) et apud Varronem,

284) Sall. bell. Catil. IV, 1. 285) Tac. ann. II, 56.

286) Varron. r. r. III, 12 (cf. III, 3).

287) Columellae r. r. 8, 1, 4; 9, 1, 3. cf. Marquardt: Privatleben der Roemer pag. 141.

288) Gemoll, Die Realien bei Horaz, Berlin., Bd. III, p. 33.

quin etiam Graeca vox ἄρκυς carmini cuidam inserebatur. De his verbis est postea agendum.

Non magis prius argumentum mihi placet. Varro enim, cum de magnificentibus aequalium ferarum saeptis agit, de venando in eis nihil docet neque usquam quicquam de hac re traditum legimus. Alter locus, ubi Varro ne quis agricola canem a carnifice vel a venatore emat monet, mihi occasionem praebet quaerendi, qui fuerint illi venatores. Num erant cives Romani, qui lusum venandi colebant et canes vendebant? Valde mirum esset, si cives iuxta lanios positi essent. Mea quidem sententia illi venatores Varroniani sunt servi [289]), vel fortasse libertini, quorum officia pertinebant ad feras, sive ut eas propter pellem aut carnem, quae ditissimis Romanis cibo esset [290]), in montibus captarent sive ut saluberrimas quasque partes corporum ad medicos portarent [291]) sive ut feras ad ludos publicos circenses cogerent. Me talia sine ullo labore ex hac una voce venatoris concludere posse loco probatur ex Cicerone desumpto: ⟨Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur⟩ [292]). Duabus causis hic locus est summi momenti. Cicero enim inserit venatores in athletas pugiles gladiatores, quos esse deperditos homines aut barbaros ipse addit. Quibus rebus compertis quis Sallustium venationem nominare servile officium admiratur? Altera est, quod Cicero hic re vera de Romanis rebus loquitur, id quod gladiatoribus indicatur. Id enim apud Ciceronem semper est animadvertendum, utrum quasi Romanus vir an ex philosophica quadam ratione verba faciat. Ut exemplo utar, Cicero in Catone maiore [293]) de rusticae vitae sim-

289) Iidem venatores vivaria quoque custodiebant.
custos vivarii nominatur C. I. L. VI, 130.
venatores: Orelli no 22. Dig. 33, 7, 12. Varro III, 3, 4.
familia venatoria: C. I. L. V, 2541.
De venatoribus Romanis circensibus multa scripta sunt, quae singulatim enumerare hoc loco non opus est.

290) cf. Horatium. 291) cf. Plinium. 292) Cic. Tusc. II, 40.

293) Cat. mai. 56 (§ 5 et 6).

plicitate agit ac de gaudiis eius hoc scribit: ⟨conditiora facit haec supervacaneis etiam operis aucupium et venatio⟩. Qui potuerit fieri, ut Cicero seni ludum venandi tam laboriosum commendaret, statim apparet si quae sequontur apud Ciceronem perlegimus. Xenophontis enim libri ut legantur monet Cicero atque ego hoc primum esse testimonium libri Cynegetici Xenophonti attributi eo maiore constantia contendo, quod apud neminem adhuc inveni.

Ut revertar ad venatores supra dictos, merito Cicero eos enumerabat iuxta athletas pugiles gladiatores, cum iidem venatores in harena quoque cum bestiis pugnarent. Ex servis, quorum officium erat captare bestias et servare vivaria, gladiatores illi venatorii enati esse mihi videntur. Collegia venatorum et in Italia et postea omnibus locis, quibus erant ludi circenses instituti, inveniuntur [294]). Nonnulla exempla in adnotatione attuli, plura addere ineptum mihi visum est, quia eis quidem est de hac re scribendum, qui de collegiis Romanorum vel de gladiatura agunt, neque mihi historiam nobilis venandi studii componenti. Hoc ergo modo Romanis ex anno 186, quo venationes in ludos circenses recipiebantur, placuit 'venari', non per silvas vagantes, famem sitimque superantes, acri telo feras persequentes, sed ex alta sede spectabant,

Concita veloces fugeret cum damma Molossos
Et varia lentas necteret arte moras
Caesaris ante pedes supplex similisque roganti
Constitit, et praedam non tetigere canes [295]).

Aut(caprea) despicit illa canes
Pulcher adest onager, mitti venatio debet
Dentis Erythraei; iam removete sinus . . . [296]).

294) Arpini C. I. L. X, 5671.
Corfinii IX, 3169 (= Or. 4118). Deae Vocontiorum XII, 1590.
Corinthi C. I. G. 1106 (= Kaibel Ep. gr. 885).
Cf.: Liebenam: Römisches Vereinswesen pag. 123.
Waltzing: Les corporations chez les Romains.
P. I. Meier: De gladiatura Romana. Bonn. diss. 1881.
Hirschfeld: Gallische Studien.
Mommsen: Ber. d. antiq. Ges. in Zürich 1868 p. 65.

295) Martial. Sp. XXX, 1. 296) Ep. XIII, 99.

Saepe autem venatores quoque ipsi a bestiis lacerabantur, quo crudelissimo spectaculo Romani non minus quam gladiatorum inter se commissis pugnis laetabantur.

Priusquam ad nobile studium Romanorum transgrediar me explicare necesse est, qua de causa ab imaginibus Pompeianis similibusque, quibus tot et tantae res vitae Romanae optime illustrantur, in hac descriptione plane abstinere velim. Multis verbis dicere non opus est, cur nihil eis imaginibus probetur, quae non vitam Romanam sed litteras Graecas referant, velut illa qua carminum A. P. VI, 11—16, 179—187 argumentum repraesentatur [297]). Ceterae imagines, quae ad venatum spectant, disponi possunt in partes tres. In prima valde numerosa conspiciuntur ferae sine hominibus, quarum exterae artificibus per ludos circenses erant notae. — In altera cognoscuntur Graecae fabulae, praecipue Meleagri Actaeonis. —

In tertia Amores venantur (quin etiam retibus) lepores cervos ursos leones al. Ex his solis aliquid de vita cotidiana discimus. Labores cotidiani arte Pompeiana, ut ita breviter dicam, non plane de vita sunt depicti sed eo modo, ut Amores parvuli quasi per iocum laeti labores perficiant. Sic Amores quoque venantur, quos ne quis in lusu esse putet moneo sed in labore. Qui id quod supra est explicatum diligenter perlegerit statim intelleget hos Amores non significare nobile studium, sed illos venatores, qui sive cogunt feras ad circenses ludos sive in circo pugnant ipso.

Confiteor nonnullas imagines restare in quibus venatores (cum equis et canibus) sunt ficti sine ullo certo indicio, utrum artifici in animo fuerint venatores, qui feras ex officio captent, an nobiles Romani graecissantes.

Revertar ad alteram s. d. opinionem nequaquam ex initio Romanam, de qua nonnulla iam dixi. Quamvis nunquam defuerint, qui velut Sallustius venatum atque etiam agriculturam opera se putaverint indigna, quia imprimis servorum officia essent, tamen hoc ipso tempore non minus

297) cf Dilthey Ann. d. Inst. 1876 pag. 305 (Mon. X, 36).

quam quinquaginta annis post venatus explevit otium satis multorum nobilium Romanorum. Res publica penes paucos erat, ita ut copia otii et inopia publicorum munerum negotiorumque multos viros alia et privata negotia quaerere cogeret.

Non omnium animi erant satis mobiles, ut ipsi libros scriptos proferrent aut saltem legendo delectarentur. Siquis minore indole praeditus erat, agris suis colendis et pecoribus ruri alendis otium egit. Alius venatum colebat, quod studium Horatius illustri laude ⟨sublime opus⟩ extulit. Antequam de Horatio ipso et eius aetate fusius agatur, restat, ut paullum regrediens quantum per materiem fieri potest continue explicem, quibus ex populis studium venandi nobile Romam sit importatum — vel rectius, quibus ex terris Romani ipsi studium venandi reportaverint.

Supra commemoravi Scipionem Aemilianum Polybio adiuvante factum esse strenuum venatorem. Ad educationem eius arcessitos esse traditur a Plutarcho [298]) Graecos non solum grammaticos sophistas oratores sed etiam artifices fingendi et pingendi artium, servos ad equos et canes curandos, venandi magistros (*διδάσκαλοι θήρας* nominantur). Postea Scipio se in saeptis regum Macedonum per quattuor annos integris studio venandi dedidit. Tamen per se quidem satis dubium est, num alii nobiles iuvenes Romani exemplum eius imitati sint, id quod Kiessling docte his verbis explicat [299]): Die plebejisch-nationale Reaktion auf allen Gebieten des Lebens, der Politik, wie der Sitte und Kunst scheint die Nachahmung verhindert zu haben. — Uno tantum loco ex fragmento quodam Lucili [300]) nobilis Romani viri studium ven. detegi posse suspicor. Ad versum Lucili ⟨tum spara tum rumices portantur, tragula porro⟩ Marx [301]) adnotat versum vix alia ratione posse intellegi nisi de muneribus, quae ab hominibus agrestibus

298) Plut. Aem. Paul. cap. 6.
299) Kiessling Neues Schweizer Museum 5 (1865) pag. 334.
300) frg 1315 ed. Marx. 301) Marx. comm. p. 421 p. 75.

patrono venandi studioso dono offerantur. Deinde putat arma venatoria apte tribui Marso clienti auctore Horatio a Kiesslingio explicato [302]). Neque equidem existimo illum hoc suo iure protulisse. Nam Paulus ex Festo excerpsit ⟨**Rumex** (murex Festus et Paulus) genus teli simile spari Gallici⟩ [303]). Sparus igitur sive sparum, de genere enim dissentiunt grammatici, erat parvi generis iaculum Gallorum, non Marsorum. Itaque valde dubium est num rumices et tragulae Latinorum venabula fuerint. Fortasse ex Gallia haec venabula erant importata. (Nomina eorum minime tango.)

Ad Marxi adnotationem praeterea tria sunt observanda. Primum iacula illa gracilia et levia erant, quibus aprum aggredi imprudentis est. Deinde ille venator Horatianus a Marxio laudatus ipse ex Graeca materie desumptus est sicut multa et alia in primo carmine libri primi. M a r s u s autem aper ratione illa nota poëtica est additus, quam Romani recipiebant a Graecis poëtis novellis, quasi instrumentum artificiale, quo lectoris eruditi animus per nomina geographica et fabulosa ad cogitandum alliceretur [304]). Tertium illi duri venatores Italiae montium, quos Cicero et Vergilius [305]) laudant, huc non pertinent. Quorum officia erant [306]) feras captare ex silvis et saltibus Apuliae et Lucaniae aut Pomptinis paludibus ad ludos circenses vel cenam divitum vel alium usum, praeterea autem feras in saeptis inclusas servare. Quantum talia distant ab hoc Lucili loco, quo levia iacula agrestia patrono dantur dono!

Varro quoque, quem supra adversarium novi studii cognovimus, vocibus spari et tragulae in Meleagris, uti videtur, est usus. In fragmentis scriptum legimus [307]):

aut ille, cervum qui volatili currens
sparo secutus tragulave traiecit . . .

302) Hor. c. I, 1, 28.
303) Paulus ex Festo p. 271, 2 cf. Nonium pag. 224, 3.
304) cf. Kiessl. ad Hor. c. I, 1, 14. 305) Verg. Aen. VII, 746 cf. scholia. 306) Friedländer S. R. II, p. 350. 307) frg 293.

Quin Varro hoc loco studium venandi quod illis temporibus vigescebat vituperaverit, non est dubium. Etiam mulieres venando indulsisse fragmento quodam indicari videtur: ⟨si non malit vir viracius uxorem habere Atalantam⟩ [308].

Graecam esse talis studii originem, quam opinionem O. Weise refellere conatur, alio Varronis fragmento propter Graecam insertam vocem optime demonstratur [309]:

lepusculi timentis hoc quadrangulum
dedit Diana rete nexile, ἄρκυας,
viscum fugarum lineamque compedem.

Antequam longius progrediamur, devertamur ad provinciam Hispaniam, quae quamvis diu provincia Romana sit nominata, postquam Carthaginiensibus est erepta, Caesaribus demum Romanis parebat. Per duo saecula a. Ch. n. semper fere exercitus Romani in Hispania versabantur. Cum provincia feris abundaret, videlicet milites cervorum leporumque carne vescebantur, quotienscumque iniquitate loci aut insidiis incolarum commeatu intercludebantur.

Iam vero Kiessling in excursu de Hispanico venandi studio dixit Romanos milites in obsidione urbis Intercatiae [310] aegros esse factos ex ferarum carne, cui asssueti non fuissent [311]. Qua ex re conclusit Romanis civibus fuisse venatum hoc tempore inusitatum. Contra hanc interpretationem dicere opus est Kiesslingium verba Appiani χωρὶς ἁλῶν neglexisse. Itaque corrigendus est sensus hoc modo: non caro ferarum Romanis legionariis erat perniciosa, sed salis inopia. Quamquam igitur ex hoc loco decerni non potest num cives Romani in Italia venatui se dediderint, tamen milites Romanos sive copia ferarum commotos sive inopia pecoris coactos in Hispania famem carne cervorum et leporum satiavisse apparet. Ante portas Intercatiae idem Scipio Aemilianus confecit foedus quoddam, quem supra adulescentem in Macedoniae saeptis regiis summo venandi studio inflagratum vidimus. Nonne

308) frg 300. 309) frg. 385. 310) Appiani Ib. cap. 54.
311) Kiessl. N. Schweizer Mus. 5 (1865) p. 327.

eum in Hispania voluptati suae indulsisse valde est verisimile?

Septuaginta fere annis post Sertorius [312] Hispaniam sub dicionem suam redegit. Qui vir, postquam Romani amici eum defecerunt, magis Hispaniensis quam Romanus animos Lusitanorum sibi plane conciliavit moribus suis, quos miro modo ad Hispanorum consuetudines adaptaverat. His continebatur venatus quoque, quem Sertorius corporis causa libenter exercebat. Diana ipsa venatrix, summa Hispanorum dea, ei iussa per cervam albam misit. Hoc enim modo superstitio Hispaniae gentium callide in consiliorum Sertori usum erat conversa. — Forsitan etiam illi filii nobilium Hispanorum, qui Sertorio auctore Oscae erudiebantur, cum adulti Romam venissent, secum importaverunt studium venandi Hispanicum. Nam Romae saepe nobiles externi vivere coacti sunt. Eorum qui postea Romam venerunt ex Hispania, sufficit nonnulla nomina proferre velut Porcium Latronem [313], qui Seneca auctore erat 'sollertia venandi' praeditus, imperatores Traianum [314] et Hadrianum [315], utrumque venatorem nobilem strenuum, Martialem, Senecas, alios, de quibus Kiesslingi excursum commendo conferendum. Unum tantum Romanum in Hispania nominatim addere velim, Tullium Maximum [316] aetate Hadriani legatum, propterea quod in carminibus eius voces Hispanicae sunt receptae ⟨paramus⟩ pro campo (= Haide) et ⟨disex⟩ pro iaculo.

Ultimis liberae rei publicae temporibus — Cicerone e. g. puero — totus fere orbis terrarum Romano iuveni patebat. Iterum iterumque quotannis multi et nobiles adulescentes Romani petebant Graeciam, ex qua praeter litteras consuetudines quoque Graecas secum reduxerunt, in his etiam venatum. Praeter Graeciam visebant Asiam

312) cf. Plut. Sertor. praecipue cap. XIII.
313) Senecae contr. I, praef. 14. 314) Plin. paneg. 81.
315) Ael. Spartiani cap. 2.
316) Annali del Inst. XXXVI, 216 (Dianakapelle in Leon auf Sizilien).

Africam Gallias, quae terrae omnes optimas facultates venandi dabant. Commercio et magnis itineribus homines externas res cognoscebant ita ut idem Romanus tum in Graecia aut Italia feras sagitta Cretica percutere potuerit, tum in Gallia Cisalpina rumicibus et tragulis et sparis. Quis dicere audet, quibus telis Romanus nobilis vir in Hispania cervos venatus sit, utrum Hispanicis an suis ipsius an aliis?

Quae rerum condicio optime intellegitur ex verbis Vergili[317]), ubi Gallus, ille elegicus poëta Romanus, inducitur, cum Parthenium montem in Arcadia pervagatur et Parthico arcu Creticam sagittam in feras mittit. Hoc ipso Vergili loco Graeciam esse terram, ubi iuvenes nobilis Romani studium venandi colere sint soliti, aperte ostenditur. Aliud exemplum apud Propertium invenitur, ubi res vera coniungitur cum lyrica licentia. Propertius, postquam se prope sedem amatae esse moraturum promisit, hoc modo pergit[318]):

non tamen ut vastos ausim temptare leones
aut celer agrestes comminus ire sues.
haec igitur mihi sit lepores audacia molles
excipere et stricto figere avem calamo.

Hoc significat: non vult perficere periculosum Asiae aut Africae venatum, ne Graeciae quidem (nam in Apennini montibus apros venari est libertinorum et servorum), sed in planitie Clitumni apud Assisium lepores venatur et aucupatur, — vix quo 'poëta, cui blandimenta amoris plus cordi sint quam saevus venandi ardor, nobili sit venatu magnarum interdictus ferarum'[319]), sed quia hac in planitie nihil invenitur nisi lepusculi et aves. A molestis venatus laboribus adulescentes Romani tum abhorrebant, nisi in magnis suis itineribus, quae per provincias orientales faciebant, novitate rerum incitabantur, ut leones vel alias bestias interficerent. Mihi ipsi quidem persuasum est iuvenes Romanos ut in campi Martii ludis inter aequales

317) ecl. X, 50. 318) II, 19, 21.
319) Rothstein in comm. ad h. l.

ita ad lepores venandos esse equis vectos. Tamen aegre fero quod O. Weise in opusculo suo, cum contendit adnotatione quadam Romanos didicisse a Gallicis nobilibus feras in campis apertis agitare celeribus equis vectos, ex Gallia Romanos importavisse canes venaticos et postea falcones[320]), auctorem tacet, ex quo mutuatus sit talem opinionem. Strabo[321]) quidem tradit de Gallis equitibus hoc: *ἔστι Ῥωμαίοις τῆς ἱππείας ἀρίστη παρὰ τούτων*, sed eodem modo clari sunt equi Siciliae, Thessaliae, Aetoliae, Acarnaniae, Arcadiae, Epidauri, Africae Hispaniaeque, qui omnes praecipue in circo florebant. Niti Weise videtur libri Cynegetici ab Arriano compositi secundo et tertio capitibus, ubi de Gallorum venatu agitur. Periculosum autem esse Gallos inducere neque indicare, utrum Galliae an Asiae incolae nominentur, mihi iam diu persuasum est. Nunc praeterea Radermacher[322]) testimonium huius rei attulit. Optime enim demonstravit canes 'Celticos' apud Grattium Cynegetici illius libri scriptorem (postea et 'Gallos' nominatos) non esse Europae sed Galatarum Asiae minoris canes. Grattium autem exscripsisse (atque id pessime!) auctorem Alexandrinum ex nominum aliarum gentium compositione apparet. In eundem errorem videtur incidisse M. Fiegl[323]), qui Arrianum canes Gallicos in libellum inseruisse putat, postquam librum Gratti Romae recognoverit. Solis luce clarius est Arrianum in Asia minore ipsa canes Gallicas venaticas habuisse.

Redeamus ad Caesaris Augusti aetatem. Supra Vergilius quasi exemplar fuit illius amplitudinis imperii Romani, qua fit ut vix in poëtis discernamus, quid sit Romanum, quid Graecum, quid ex aliis gentibus receptum. Neque igitur prodest locos velut Vergili Ovidi aliorum, quibus venaticae res narrantur vel tanguntur, accumulare et enumerare aut hos poëtas inducere testes venatici cuiusdam sermonis Romani. Praecipue Laucherto eam

320) O. Weise: Griech. Wörter in d. lat. Spr. p. 299.
321) Strab. IV, 196. 322) Mus. Rhen. 50 pag. 249.
323) M. Fiegl: Gratius Faliscus u. s. Nachahmer, Görz 1890.

rationem vitio vertere debui. Ut exemplo utar, Lauchert ad verba discernere conatur inter retia plagas casses, quamquam ei praeter poëticos vix ulli loci praesto sunt. Utilius autem videtur apud poëtas quaerere utrum accuratius an neglegentius Graecos auctores transverterint, quam petere testimonia rei venaticae Romanae ex illis doctis poëtis. De consilio autem et ratione, quibus Romani Graecos terminos in usum suum declinaverint, hoc loco explanatius disserere longum est.

Descriptiones venaticae hoc tempore sunt in litteras Romanas introductae maxime per poëtas elegiacos. Meum esse hic non potest quaestiones de Romanae elegiae origine hoc loco retractare. Tamen gaudeo quod viri docti, qui de hac materia egerunt [324]), rem venaticam quoque observabant. Docti poëtae Romani carminibus suis saepe argumenta de Alexandrinis deprompta dederunt. Atque in his venatus quoque continetur. Nam ille invenitur apud Vergilium, apud Propertium, apud Tibullum (I, 4), apud Sulpiciam (Tib. IV, 3). Hoc in carmine inesse Graecum argumentum, Ernestus Maass multis verbis affirmavit. Plura quae ad nostram rem pertinent invenies apud C. H. Muellerum, qui de similitudinibus imaginibusque apud veteres poëtas elegiacos scripsit [325]).

De Horatio.

Ultimum inter Romanos locum obtineat Horatius, propterea quod acerrime aetatem suam observavit, quamquam cavendum est, ne in errores deducamur eis locis quibus consulto Graecas res Romanis commiscet. Permagna eius experientia in rebus cynegeticis etiam doctus vir commotus est, ut Horatium ipsum venatorem fuisse probare conatus sit [326]). Iam per se risum incitat Horatius ille bene notus poëta, cui quies placebat, in venando la-

324) Bürger Herm. 38 (1903) pag. 21. Jacoby: Zur Entstehung der röm. Elegie. Mus. Rhen. N. F. 60 p. 75. E. Maass. Herm. 24 (1889) p. 523. 325) C. H. Mueller Gotting. Diss. 1887.

326) O. A. Hoffmann 'War Horaz Jäger?' Monatsschrift für höhere Schulen 1904 Heft 12 pag. 665.

borans, id quod Gemoll iocosis verbis exprimit his fere: ⟨Semel tantum commemoratur despectus, qui ex alto monte pateat. Montem autem conscendit baccha Graeca, non poëta Romanus, qui habitu corporis brevis atque obesus unus ex eis erat, qui montes ab imo inspicere praeoptent.⟩ Qui error O. A. Hoffmanni ex nimio Dianae amore ortus est. Multa enim et dulcissima lectu quae argumenta H. affert ne minimum quidem valent ad Horatium aut alium quendam Romanum comprobandum venatorem. In his sunt primum descriptiones naturae similiaque, quae Graecis poëtis deberi inter omnes constat. Respicio carmina: Vides ut alta — Solvitur acris hiems — O fons Bandusiae — Miserarum est — postremo Callimachum ad verba laudatum. Neque magis nos attinet luxuria cibi ad extremum finem perducta, qua non solum pastus ferarum et tempus capiendi determinabatur, sed etiam fecundae leporis armi petebantur. Eos venatores, quibus mensae nobilium Romanorum erant curandae, non fuisse nobiles supra affirmavi. Neque Horatius ipse carnem ferinam despexit, sed Numonium Valam diligenter rogat in epistula, quam visurus Veliam praemittit [327]), ⟨tractus uter plures lepores, uter educet apros⟩.

Probare non possum, quod H. versu qui sequitur plane neglecto hunc perperam explicat eo modo: Da er nicht als Wildprethändler dieses Interesse bekundet, — dürfte er vor sich hin gepfiffen haben: „Was gleicht wohl auf Erden dem Jägervergnügen!“ Sane, vendere carnem ferinam Horatius noluit, sed edere, quamvis sint lepores illi et apri non ab se, sed a venatoribus interfecti; versum enim ab H. omissum legas:

⟨Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti.⟩

Restant autem loci quibus apparet tum opinionem Romanorum esse mutatam.

Praeterea videtur concedendum esse rusticos illius aetatis homines venatui se dedidisse, ut sibi hieme cibum

327) epist. I, 15, 23.

delicatum pararent[328]) aut in leporum venatibus discerent rudibus equis vehi[329]).

Romanam vere militiam et Romanis solemne viris opus non immerito Horatius venatum nominat[330]). Ut intellegatur cogitemus de Scipione viri Romani praeclaro exemplo. Tamen multis verbis Horatio opus est, Lollio persuadere, ut amicum potentem ad venandum sequatur. Lollius enim et ipse non immerito venatum putabat nugas Romano iuvene indignas. Potens autem ille amicus saepe educebat in agros

⟨Aetolis onerata plagis iumenta canesque⟩

Graecorum iuvenum more. Nobiles adulescentes studium venandi imprimis ex Graecia reportavisse supra dixi. Romae deinde pompa magnificentissima forum transgressi vix urbem relinquebant ⟨ut olim

⟨Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
⟨differtum transire forum populumque iubebat,
⟨unus ut e multis populo spectante referret
⟨emptum mulus aprum⟩[331]).

Hic quidem non iam venatus nominari potest comparatus cum strenua corporum exercitatione agrestium hominum, qui hieme apros venantur et rudibus equis vehentes sectantur lepores. Itaque Horatius interitum pristinae virtutis se dolere existimat, cum dicit[332]):

⟨nescit equo rudis
⟨haerere ingenuus puer
⟨venarique timet, ludere doctior . . .⟩

---

328) epod. II, 29.

at cum tonantis annus hibernus Iovis
imbris nivisque comparat,
aut trudit acris hinc et hinc multa cane
apros in obstantis plagas,
aut amite levi rara tendit retia
turdis edacibus dolos,
pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
iucunda captat praemia.

329) sat. II, 2, 9. 330) epist. I, 18, 40 sqq.

331) epist. I, 6, 57. 332) carm. III, 24, 54.

Graecissanti venationis tum cultae rationi libellus de arte venatica respondet, qui his temporibus a Grattio quodam vix iure Falisco cognominato est compositus. Non Diana vitae cotidianae sed studium auctorum Graecorum eum docuit artem. Ultimus Radermacher ex certis indiciis cognovit Grattium secutum esse Alexandrinum auctorem, de qua re supra dixi. Neque hanc Radermacheri disputationem esse ultimam de hoc ⟨duro⟩ poëta puto.

Epilogus.

Subsistamus hac in aetate, quem opusculo meo finem constitui. Nam Romana atque Graeca opiniones tum vix distineri possunt neque hoc tempore luxuriae et effeminationis nobilium hominum inveniri possunt strenui nobiles venatores. Qui postea Romani hac in re laudantur, sunt ex provinciis oriundi praecipue ex Hispania, de qua terra supra verba feci. Imprimis respicio Traianos et Hadrianos. Non vetamur addere cives Romanos ex Galliis, Africa, Asia natos. Quamvis illi sint nomine Romani cives, tamen studium eorum venandi non est Romanum, quod sunt nati ex provinciis et graecissante more educati.

Index scriptorum, qui laudantur.

opusculi pag.

Aelian. de nat. an. IV, 19 et VIII, 1. 55
Aeschines I, 170; I, 195; III, 355. 46
Aeschylus Ag. 1116. 694. 1016. 1018. 1047. 1140. 30. 31
Choeph. 480. 33
Eum. 130. 139. 147. 228. 246. 26
Prom. 572. 860. 1072. 27. 29
Andocides I, 9. 46
Anecdota Bekkeri I, 249, 7. 48
Anth. Pal. VI, 34. (Rhianus). 56
VI, 13. 35. 110. 188. 263. (Leonidas Tar.) 56
VI, 177. (Theocritus). 56
VII, 338. 56
Antiphanes com. Athenaeus IV, 130 e. 41
Antiphon V, 29; VI, 18. 46
Appian. Ib. cap. 54. 68
Aristophanes Ach. 518. 873. 1006. 1075. 41 sq.
Av. 1442. 43
Eccles. 471. 43
Equ. 1192. 1383. 43. 41
Lysistr. 785. 1247. 24. 25
Nub. 15. 258. 358. 43. 40
Pac. 1150. 1314. 41
Plut. 158. 43
Vesp. 1203. 42
Aristoteles Pol. I, 3. 45
Rhetor. I, 11. 45
Athenaeus I, 8 a. 53
V, 201 b. 56
XIV, 646 e. 48
XIV, 630 c. 6
Callimachus ep. 31 (Wil.) (= A. P. II, 102). 56

Cratinus Harpocr. lex. rhet. p. 34, 22. 40
Demosthenes I, 18; III, 31; XIII, 45; XVIII, 263. 46 sq.
Ps. Dem. XXV, 61. 46
Diogenes Laërtius Hipp. VI, 2. 7. 33. 47
Polem. IV, 16. 47
Ephippus Athen. VIII, 359 a. 42
Eupolis Eustath. ad. ε p. 1555, 18. 40
Euripides Bacchae 228. 339. 352. 434. 451. 459. 719. 731. 817. 868. 977. 1106. 1144. 1174. 1215. 29. 35 sq.
Hec. 1056. 1172. 37
Hel. 49. 51. 62. 154. 314. 1169. 1238. 25. 28. 37 sq.
Herc. 898. 26
Hipp. 215. 25
Iph. Aul. 568. 959. 28
Medea 985. 1278. 29. 39
Orest. 679. 1315. 28. 39
Troad. 369. 28
frgg. 431. 437. 28
Herodotus VII, 126. 6
Homerus Il. III, 17; IV, 105; IX, 529; X, 29; XII, 300; XVII, 61; XVIII, 428; XX, 164. 21
Il. X, 261. 5
Od. IX, 116; IX, 156 (cf. Eustathium); X, 181; XIII, 436; XIV, 50; XIX, 428. 21 sq.
Od. IV, 519 sqq. 30
Inscriptiones
Corp. inscr. Gr. 1106. 64
Dittenbgr. Orient. Gr. inscr. I, 20. 99. 56
Wilcken Gr. Ostr. II, 1530. 1545. 56
Isocr. VIII, 34; X, 59. 46
Ps. Isocr. I, 16. 46
Panathen. 84 § 211. 23
Lysias VII, 22. XII, 60. 46
Nausicrates Athen. IX, 399 e. 41
Nicostratus com. Athen. II, 65 d. 42
Pind. Nem. III, 79. 83; VI, 4; XI, 47. 22. 23
Pyth. III, 23; IV, 90; VIII, 35; X, 12. 22. 23
frgg. 106. 234. 22
vita Eustath. v. 4. 22
vita Ambros. l. 7. 22
Plato com. Athen. X, 441 e. 16
Plato philos. Euthydem. 294. 44
Euthyphron. 13. 44
legg. 633 B. 763. 824. 23. 45

de rep. 335 b. 373 b. 375 a. 451. 459. 466. 535 d. 822 d. politic. 289. — *44 sq.*
Plut. Aem. Paul. cap. 6. — *50. 66*
Alex. cap. 61. — *54*
Lyc. cap. 12, 5. — *24*
Sert. praec. cap. 13. — *69*
Poll. on. V, 41. — *54*
Polyb. XXXII, 15. — *53. 61*
Soph. Ai. 343. 564. 720. 996. — *32*
Ant. 92. 433. — *28. 34*
El. 1054. — *28*
O. C. 1026. — *28. 34*
O. R. 108. 221. 275. 476. 542. 566. — *36*
Philoct. 116. 165. 609. 841. 958. 1005. 1007. 1146. — *33 sq.*
frg. inc. 911. — *34*
Strabo IV, 196; XV, 700. — *71*
Xenoph. anab. 5, 3, 7—13. — *1*
de re Lac. 4, 7. — *23*
Ps. Xenoph. cyneg. lb. III, 9. 10; IV, 5. 6; V, 14. 19. 28; VI, 17, 19, 23; IX, 10. — *26. 27. 49*

Aelius Spartianus cap. 2. (de Hadriano). — *69*
Cicero Cato maior 56 (§ 5 et 6). — *63*
Tusc. II, 40. — *63*
Columella r. r. 8, 1, 4; 9, 1, 3. — *62*
Corpus inscr. lat. V, 2541. VI, 130. — *63*
IX. 3169. X, 5671. XII, 1590. — *64*
Dig. 33, 7, 12. — *63*
Grattius carm. ven. 221. — *47*
Horatius carm. I, 1, 28. — *67*
carm. III, 24, 54. — *74*
epod. 2, 29. — *74*
sat. II, 2, 9. — *74*
epist. I, 6, 57. — *61. 74*
epist. I, 15, 23. — *73*
epist. I 16, 15. — *58*
epist. I, 18, 40 sqq. — *60. 74*
Lucilius (ed. Marx) frg. 1315. — *66*
Martialis ep. XIII, 99. — *64*
sp. XXX, 1. — *64*
Nonius pag. 224, 3. — *67*
Paulus ex Festo p. 271, 2. — *67*

Plautus Andr. 57. — *57*
Capt. 85 et 184. — *58*
Cas. 319 et 476. — *58*
Men. 835. — *58*
Mil. gl. 268. 990. 1388. — *57. 59*
Poen. 647. — *58*
Rud. 970. — *58*
Stich. 139. — *57*
Trin. 236 et 257. — *59*
Plin. nat. hist. VIII, 40. — *55*
Plin. ep. I, 6. — *61*
paneg. 81. — *60. 69*
Propertius II, 19, 21. — *70*
Sall. bell. Cat. IV, 1. — *62*
Seneca contr. I. praef. 14. — *69*
Statius Achill. in initio et II, 397 (110). — *22*
Tacitus ann. II, 56. — *62*
Tullius Maximus cf. Ann. d. Inst. arch. XXXVI, 216. — *69*
Varro r. r. III, 3, 4. III, 12. — *62. 63*
sat. frg. (Buecheler Petron.[3]) 293—303. — *61. 67*
frg. 385. — *68*
Verg. Aen. VII, 746 cf. scholia. — *67*
ecl. X, 50. — *70*

(Cursive indicantur huius opusculi paginarum numeri.)

Baguenault de Puchesse, G. De venatione apud Romanos, Paris 1869. *p. 59.*
v. Bissing Jahrb. d. arch. Inst. 13 (1898) p. 28. *p. 8.*
Boehlau Jahrb. d. arch. Inst. 2 (1887) p. 48, pag. 191 adn. 30. *p. 12. 13.*
Bürger Hermes 38 (1903) p. 21. *p. 72.*
Couve, Louis Revue archéol. 3 S. T. 32 (1898) p. 216. *p. 13.*
Dilthey, C. Ann. d. Inst. 1876 pag. 305. *p. 65.*
Fiegl, M. Gratius Faliscus u. seine Nachahmer, Görz 1890. *p. 71.*
Fossy Revue archéol. S. 3 T. 18 (1891) p. 361. *p. 15.*
Friedlaender Sittengesch. Roms II p. 350. *p. 67.*
Furtwaengler Arch. Ztg. 1883 p. 159. *p. 7.*
„ Gemmae Tom. III p. 50. *p. 7. 10.*
„ coll. Sabouroff praef. p. 25 et 37. *p. 16.*
Gemoll Die Realien bei Horaz, Berlin III p. 33. *p. 62.*
Hartwig Meisterschalen p. LIII. *p. 20.*
Helbig Untersuchungen über die campan. Wandmalerei. *p. 55.*
„ Mémoires de l'Institut National de France, Academie des Inscriptions et Belles-Lettres. Tom. XXXVII, II p. 157 (Paris 1904).
„ Hermes XL p. 105. *p. 20.*

Herzer Über den Gebrauch der Metapher b. d. Tragikern, Zweibrücken 1884. *p. 38.*
Hirschfeld Gallische Studien. *p. 64.*
Hoffmann O. A. War Horaz Jäger? Monatsschrift für höhere Schulen 1904 Heft 12 p. 665. *p. 72.*
Holwerda Jahrb. d. arch. Inst. 4 (1889). *p. 20.*
Jacoby Mus. Rhen. N. F. 60 p. 75. *p. 72.*
Jahn, Otto Melisches Thonrelief. *p. 18.*
Joubin De sarcophagis Clazomeniis diss. Paris. 1901. *p. 54.*
Keller, Otto Thiere des klass. Altertums, Innsbruck 1887. *p. 5. 18. 21. 54.*
Kießling Neues Schweizer Museum 5 (1865) p. 327 sqq. *p. 66. 68.*
„ ad. Hor. carm. I, 1, 14. *p. 67.*
Köhler. Ulr. Athen. Mitt. 7 (1882) p. 241. *p. 8.*
Körte Arch. Ztg. 1880. *p. 20.*
Lauchert, Fr. Das Weidwerk der Römer Progr. Rottweil 1848. *p. 59.*
Leo, F. Plautin. Forsch. p. 94. *p. 58.*
Liebenam Roemisches Vereinswesen p. 123. *p. 64.*
Loeschcke Arch. Ztg. 1881 p. 33 sqq. *p. 12. 13.*
Maass, E. Hermes 24 (1889) p. 523. *p. 72.* [*p. 39.*
Magdeburg Über die Bilder u. Gleichnisse bei Euripides Danzig 1882.
Manns, Otto Über die Jagd bei den Griechen. Progr. des Kgl. Wilhelmsgymn. in Kassel 1888—1890. *p. 3. 21.*
Marquardt Privatleben der Roemer p. 141. *p. 62.*
Marx ad Lucilium comm. p. 421 et p. 75. *p. 66.*
Mayer, Maxim. Jahrb. d. arch. Inst. 7 (1892) p. 72. *p. 10.*
Meier, P. J. De gladiatura Romana Bonn. diss. 1881. *p. 64.*
Meyer, A. B. (Dresden) Der Zoolog. Garten XLIV No. 3 (1903) p. 72 adn. 1. *p. 9.* [*p. 6.*
Milchhöfer Anfänge der Kunst in Griechenland p. 169) Leipzig 1883.
Miller, Max Das Jagdwesen der Griechen u. Roemer für Freunde des klass. Altertums. München 1883. *p. 3.*
Müller, C. H. De similitudinibus imaginibusque apud veteres poëtas elegiacos Gotting. diss. 1887. *p. 72.*
Mommsen Berichte der antiq. Ges. in Zürich 1868 p 65. *p. 64.*
Otto, A. Die Sprichwörter u. sprichwörtl. Redensarten der Römer Leipzig 1890. *p. 60.*
Perrot-Chipiez Histoire de l'Art Tom VI p. 824 et p. 838. *p. 7.*
Pfuhl, E. Athen. Mitt. 28 (1903) p. 279. *p. 49.*
Pottier Bull. corr. hell. 1892 p. 240 sqq. *p. 54.*
„ Bull. corr. hell. 1893 p. 227. *p. 11. 15.*
Radermacher Mus. Rhen. 50 (1895) p. 249. *p. 71.*
„ Mus. Rhen. 51 (1896) p. 628. *p. 1. 24. 44.*
Reichel Eranos Vindob. 1893. *p. 10.*
Reinach, Th. Hamdy Bey et Theodor Reinach Une nécropole Royale à Sidon, Paris 1892. *p. 55.*

Ribbeck Gesch. der roem. Dichtung [2] I p. 260. *p. 61.*
Ritter, C. Platos Gesetze, Darstellung p. 72 et Kom. p. 250. *p. 45.*
Roschatt Translationes Progr. Straubing 1885/6. *p. 46.*
Rothstein ad Propertium comm. II, 19, 21. *p. 70.*
Schliemann Mycenae p. 312 et postscriptum. *p. 48.*
Schwartz, Ed. Theocrits Daphnis Nachr. d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen, Phil.-hist. Kl. 1904 no. 4. *p. 26.*
Sittl Jahrb. d. arch. Inst. 2 (1887) p. 185. *p. 7.*
Stengel, P. Fleckeis. Jahrb. N. F. 1883 p. 372. *p. 49.*
„ Hermes 22 p. 94. *p. 49.*
Stephani Compte rendu Petersburg 1867 p. 59. *p. 2.*
Studniczka Athen. Mitt. 12 (1887) p. 1. *p. 8.*
„ Revue archéol. S. 4. T. 6 (1905) p. 47 et 34. *p. 54.*
Thiersch, Herm. Tyrrhenische Amphoren Leipzig 1899. *p. 17.*
Waltzing Les corporations chez les Romains. *p. 64.*
Weniger, L. Neue Jahrb. 19 (1907) p. 96. *p. 49.*
Weise, Osk. Griech. Wörter in d. lat. Sprache Leipzig 1882. *p. 60. 71.*
Welcker Kl. Schr. II p. 199 adn. 22. *p. 6.*
v. Wilamowitz Eur. Herc. [2] I p. 44 adn. 73. *p. 6.*
„ „ „ [1] I p. 344. *p. 6.*
„ „ „ [1] II p. 187. *p. 29.*
„ „ „ [1] II p. 216. *p. 31.*
„ Aesch. Choeph. praef. p. 21. *p. 30.*
„ Isyll. p. 100. *p. 16.*
„ Kultur der Gegenwart I, 8. *p. 55.*
Wilcken Griech. Ostr. I, p. 162 et 228. *p. 56 sq.*
Woermann Über den landschaftlichen Natursinn der Griechen u. Roemer. *p. 55.*

Vita.

Natus sum **Ricardus Carolus Augustus Johannes** a. d. XVIII. kal. Jul. a. 1883 Dessaviae Anhaltinorum patre Augusto matre Anna e gente Grellmann, quos superstites esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Postquam pater, praesertim cum ipse magister esset, me elementa litterarum docuit, per tria semestria progymnasii Dessaviensis discipulus fui et ab a. 1893 per novem annos gymnasii patriae meae, quod vocatur Fridericianum.

Vere secundi h. s. anni in civium academiae Philippinae Marpurgensis numerum receptus sum, ut philologicis studiis me dederem. Praeter alios viros doctos audivi disserentes Birt Elster Kühnemann Maass v. Sybel Thumb Wentzel. Anno post ad Georgiam Augustam Gottingensem migravi, ubi tum quinque semestria continua peregi. Me docuerunt viri philologi et archaeologi Dilthey (†) Heyne (†) Leo Pfuhl Ed. Schroeder Ed. Schwartz Wackernagel alii. Ex quinto h. s. anno ad sextum hiemabam Berolini, ubi vitam artes scientias cognoscerem. Scholis me docuerunt Er. Schmidt Guil. Schulze Wentzel v. Wilamowitz-Moellendorff neque exercitationes omisi. Postremo Gottingam reversus studia mea academica nunc finienda curo.

Proseminarii regii philologorum Marpurgensis item atque Gottingensis per bina semestria sodalis fui, deinde seminarii, quod nunc primi ordinis dicitur, Gottingensis per tria semestria directoribus Friderico Leo et Eduardo Schwartz. Praeterea ad exercitationes me admiserunt Wackernagel grammaticas, Dilthey Pfuhl archaeologicas, Schroeder Heyne Germanicas (et Gothicas), Husserl philosophicas.

Grato animo semper omnium quos enumeravi recordabor. Plurimum autem hoc in opusculo perficiendo debeo Eduardo Schwartz et Ernesto Pfuhl, quorum suis uterque in finibus subvenit studiis meis. Nec minus gratias me habere affirmo eis, qui occasione data urbane consilio materiaque me adiuverunt.